DE P. CLODIO PULCHRO
TRIBUNO PLEBIS

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

G. LACOUR-GAYET

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS, GALLICÆ QUÆ EST IN URBE SCHOLÆ OLIM SOCIUS

Ὅτανπερ φύηται τύραννος,
ἐκ δημαγωγικῆς ῥίζης καὶ
οὐκ ἄλλοθεν ἐκβλαστάνει.
Plato, Πολιτεία, p. 565.

LUTETIÆ PARISIORUM
APUD ERNEST THORIN, EDITOREM
7, VIA DICTA DE MEDICIS, 7

MDCCCLXXXVIII

DE P. CLODIO PULCHRO

TRIBUNO PLEBIS

IMPRIMERIE GÉNÉRALE DE CHATILLON-SUR-SEINE. — A. PICHAT.

DE P. CLODIO PULCHRO

TRIBUNO PLEBIS

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

G. LACOUR-GAYET

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS, GALLICÆ QUÆ EST IN URBE SCHOLÆ OLIM SOCIUS

Ὅτανπερ φύηται τύραννος,
ἐκ δημαγωγικῆς ῥίζης καὶ
οὐκ ἄλλοθεν ἐκβλαστάνει.
Plato, Πολιτεία, p. 565.

LUTETIÆ PARISIORUM
APUD ERNEST THORIN, EDITOREM
7, VIA DICTA DE MEDICIS, 7

MDCCCLXXXVIII

DOCTISSIMO DILECTISSIMOQUE VIRO

E. LAVISSE

DISCIPULUS MEMOR.

DE P. CLODIO PULCHRO

TRIBUNO PLEBIS

Ὅτανπερ φύηται τύραννος, ἐκ δημαγωγικῆς ῥίζης καὶ οὐκ ἄλλοθεν ἐκβλαστάνει.

Plato, Πολιτεία, p. 565.

CAPUT I.

QUID DE P. CLODIO ANTE QUÆSTURAM CONSTET.

§ I. P. Clodii origo cognatioque, et varia de eo.

Ex quo Atta Claudius, gentis princeps, a Regillis Sabinorum Romam recens conditam suos traduxerat [1], multi exstiterant Claudii — patriciam Pulchrorum familiam dico, plebeia Marcellorum familia omissa [2] — qui optime de republica, pessime etiam meriti erant; sed nullus unquam famosior visus est, quam P. Clodius Pulcher ille, qui, exeunte septimo ab Urbe condita sæculo, quæstura, tribunatu plebis, ædilitate, præturæ demum petitione usus est ad rempublicam convertendam viamque unius dominatui aperiendam.

1. Suetonius, *Tiberius*, 1.
2. Asconius, *in Scaurianam*, p. 25. Ap. Claudius Pulcher, cos. a. U. c. 505 (a. C. 249), est primus qui Pulcher est cognominatus. *Schol. bob.*, p. 337.

Ap. Claudius Pulcher, Ap. filius, C. Nepos [1], a. U. c. 665 (a. C. 89) prætor, a. U. c. 675 (a. C. 79) consul cum P. Servilio Vatia, a. U. c. 678 (a. C. 76) proconsul adversus Thracas missus, eodemque anno ibi morbo mortuus, ex Cæcilia Metella uxore, filia scilicet Q. Metelli Balearici consulis a. U. c. 631 (a. C. 123), sex liberos, tres filios, Appium, Caium, Publium, tresque filias, inter se cognomine distinctas, genuerat.

Cæciliam Metelli filiam Ap. Claudio Pulchro nupsisse ideoque matrem tribuni nostri factam esse, nusquam expresse dictum credo; verum Balearicum filiam Ap. Claudio in matrimonium dedisse patet, ex eo quod duo Q. Cæcilii Metelli, Celer consul a. U. c. 694 (a. C. 60), Nepos consul a. U. c. 697 (a. C. 57), ambo Q. Cæcilii Metelli Nepotis consulis a. U. c. 656 (a. C. 98) filii, consobrini trium Appii, Caii, Publii Claudiorum fuisse dicti sunt [2]: quæ consanguinitas nullo modo effici potuisset, nisi Cæciliam Q. Metellorum amitam, nempe eorum patris, consulis a. U. c. 656, sororem, Ap. Claudius Pulcher uxorem duxisset [3]. Non supervacaneum erat de nomine matris P. Clodii inquisivisse, ut plane appareret quantum tribunus noster sororesque a virtutibus maternis degenerassent. Eam enim pluribus locis impense laudat M. Cicero, præsertim in oratione pro Sex. Roscio, in qua refert ut hæc spectatissima femina, quam honoris causa nominat, quanto honore ex parentium dignitate affecta fuerit, non minora illis ornamenta ex sua laude reddiderit [4]. Ante annum U. c. 678 mortua est; nam sororis ejus filia eidem Ap. Claudio, cui Cæcilia nupta fuerat, nupsit [5]. Cum P. Clodius, Ap. Claudii filiorum natu minimus, non plus septemdecim annos habuerit a. U. c. 678, huncque ante annum mater jam de vita decesserit, non mirandum quod in juvene formando materna indoles nullum momentum habuerit.

Ap. vero Claudium, Cæciliæ virum, M. Cicero nominat, ut

1. Videsis Claudiorum Pulchrorum stemma apud De-Vit, *Onomasticon totius latinitatis*, II, p. 328, auctoresque ab eodem allatos. Cf. Drumann, *Geschichte Roms*, II, p. 184.
2. Vide Borghesi, *Œuvres*, II, p. 221.
3. Erraverunt igitur Orellius et Baiterus, qui de Ap. Claudio Pulchro scripserunt : Ejus uxor videtur fuisse Terentia (*Onomasticon Tullianum*, p. 148).
4. Cic., *pro Sex. Roscio Amerino*, 10, 27; 50, 147. Cf. *de divinatione*, I, 2, 4; 44, 99.
5. Cic., *de divinatione*, I, 46, 104.

civem egregium, optimum, ferrea severitate, P. filii plane dissimilem [1]; sed ne nos prætereat Clodii inimicum in ardenti illa de domo sua oratione, ex qua hæ laudes depromptæ sunt, virtutum paternarum magnitudinem adaugere debuisse, quo conspectior inter patrem filiumque diversitas esse videretur. Ac de patre et matre P. Clodii hactenus dictum sit, tanto quidem magis quod adhuc in juventa orbus sit factus.

Quibus annis tres Claudii fratres nati sint, nusquam a scriptoribus antiquis traditum est; sed, quum constet quibus annis varios magistratus gesserint, legis Villiæ annalis ratione habita, jam facile erit annum cujusque natalem, quantum proxime conjici potest, cognoscere. Fratrum natu maximus Appius in annum U. c. 697 (a. C. 57) prætor est designatus, obtinuitque consulatum cum L. Domitio Ahenobarbo a. U. c. 700 (a. C. 54); frater natu minor Caius a. U. c. 698 (a. C. 56) prætor fuit, annoque U. c. 700 (a. C. 54) consulatum petiit; Publius demum natu minimus, scilicet Clodius de quo agimus, a. U. c. 693 (a. C. 61) quæsturam, a. U. c. 698 (a. C. 56) ædilitatem curulem gessit, præturamque primum in annum U. c. 701 (a. C. 53), deinde in annum sequentem 702 (52) petiit. Inde necesse est, quum Villia lex annum quæsturæ 31, ædilitati 37, præturæ 40, consulatui 43 constituerit, Appium, Caium, Publium non post annos U. c. 657, 658, 661 in lucem editos esse, aut his ipsis annis, si magistratus quisque eorum suo anno gesserit. Quod ad P. Clodium attinet, dubitari potest utrum annum 661 an sequentem 662 natalem habuerit; sed ut huic, cum numero anni quæstorii congruenti, illum anteponamus, plura faciunt [2], et præsertim consensus annorum quo ædilitatem gessit et quo primum petivit præturam. Tenendum igitur P. Clodium Pulchrum, natu minimum filiorum Ap. Claudii et Cæciliæ, a. U. c. 661 (a. C. 93) natum esse.

Ex his trium sororum annos natales definire jam licet. Cum ex Cæliana appareat Clodiam majorem, vulgo quadrantariam, sororum notissimam, P. Clodio fratri tribuno ætate præstitisse [3], nec insuper probabile sit eam fratribus Appio Caioque

1. Cic., *de domo sua,* 31, 83; 32, 84.
2. Vide quæ hac de re disseruerit Lud. Schwabius, *Quæstionum Catullianarum liber I* (Gissæ, 1862, in-12), pp. 57 sq.
3. Cic., *pro M. Cælio*, 15, 36; cf. Schwabii *op. laud.*, p. 59.

natu majorem fuisse, eam biennii intervallo, inter annos natales Caii Publiique, natam credemus. Si incertum illud non est, liberorum Ap. Claudii primogenitus postumusque filiæ fuerunt, una scilicet ante annum U. c. 657 (a. C. 97), altera post annum U. c. 61 (a. C. 93) nata.

Conferamus igitur in pauca quæ de hac annorum natalium ratione statuimus. Sex liberi Ap. Claudii et Cæciliæ Metellæ hos annos natales habuerunt : Claudia, primogenita, annum incognitum, anteriorem vero a. 657 (97) ; Appius, annum 657 (97); Caius, annum 658 (96); Clodia quadrantaria, annum 659 (95) vel sequentem 660 (94); Publius, annum 661 (93); Clodia denique minor, liberorum omnium natu minima, annum posteriorem a. 661 (93), annoque 678 (76) anteriorem, cum hoc anno pater obierit.

Quoniam de P. Clodio tribuno locuturi non semel in fratrum sororumque mentionem incidemus, primum nonnulla de unoquoque summatim exponenda videntur [1].

Appius militavit cum Publio fratre sub signis cognati L. Luculli, a quo legatus missus ad Tigranem bellum ei a. U. c. 684 indixit. Prætor a. U. c. 697 (a. C. 57), quo anno Cicero, a Publio fratre in exsilium pulsus, Romam triumphans rediit, consul a. U. c. 700 (a. C. 54) cum L. Domitio Ahenobarbo, sequentique anno Ciliciæ proconsul, quo in honore ei Cicero successit, Appius hic primum cum Cicerone inimicitias gesserat et pro fratre tribuno steterat; sed anno 700 simultatem invicem per Cn. Pompeium deposuerant, et exinde se ei non amicum modo, verum etiam amicissimum existimari M. Tullius voluit [2].

Caius, qui sive patricius sive plebeius esset, ut ait in eum ludens M. Cicero [3], præturam gessit a. U. c. 698 (a. C. 56), quo anno Ciceroni cum fratre obstitit, quum ille tabulas de suo exsilio in Capitolio fixas detrahere voluisset.

Claudia Tertia [4], filiarum liberorumque omnium natu maxima, Q. Marcio Regi consuli a. U. c. 686 (a. C. 68) nupta

1. Videsis fontes apud Drumann, *Geschichte Roms*, II; Orelli, *Onomasticon Tullianum*; De-Vit, *Onomast. totius latinitatis*, sub verbis.
2. Cic., *Ep. ad fam.*, 3, 7, 6.
3. Cic., *pro M. Æmilio Scauro*, 2, 34; cf. Ascon., p. 25.
4. Cognomen e Plutarcho, *Cicero*, 29, 2, sumptum, ubi olim, pro « Tertia », « Terentia » perperam legebatur.

fuerat, jam antequam pater a. 678 moreretur, quum ex Varroniano loco constet Appium fratrem tantum cum duobus sororibus collocandis, patre mortuo, mansisse [1]. Quarum alteram Q. Cæcilio Metello Celeri, consobrino, consuli a. U. c. 694 (a. C. 60), alteram L. Licinio Lucullo Pontico in matrimonium dedit.

Harum priorem, scilicet Q. Metelli Celeris uxorem, quam et Clodiam majorem et ignominioso cognomine quadrantariam appellabant (quod amator quidam ipsi quadrantes — æreum nomisma omnium minimum — in loculis pro argento miserat), in tota pæne Cæliana innumerisque locis salse cavillatus est M. Cicero, M. Cicero cui nubere voluisse dicta est [2]. Hanc Clodiam, quam veteres litteræ tradunt studiosam fuisse saltandi profusius et immoderatius quam matronam deceret [3], mulierem non solum nobilem, sed etiam notam, Palatinam Medeam M. Cælii Rufi patronus prædicat, quod virum suum Metellum a. U. c. 695 (a. C. 59), quo effrenatius libidini indulgeret, veneno necasse argueretur [4]; hanc amicam omnium meretricio quadrantariæ nomine palam aperteque conviciatur [5]; hanc βοώπιδος sæpissime nomine irridet, quod Publio fratri, Junonis instar, et soror et conjux esse dicebatur [6]. Fateamurque necesse est, quamvis præclarus in historia romana scriptor argumentis subtiliter excogitatis ignominiam ejus elevare recens conatus sit [7], omnia undique in Clodiam majorem conspirare testimonia. Eadem enim hæc est Lesbia

> ... quam Catullus unam
> Plus quam se, atque suos amavit omnes [8],

cuique hujus generis probra non peritura a poeta veronensi ingesta sunt :

1. Varro, *de re rustica*, III, 16, 2.
2. Plutarch., *Cicero*, 29, 1-2.
3. *Scholia bobiensia*, p. 304.
4. Cic., *pro M. Cælio*, 8, 18 ; cf. 24, 59-60.
5. *Ibid.*, 26, 62.
6. *Ep. ad Atticum*, II, 9, 1 ; cf. *pro M. Cælio*, 13, 32, etc.
7. G. Boissier, *Cicéron et ses amis*, edit. IIIæ pp. 171-176.
8. Catullus, *carmen*, 58. Lesbiam Catulli amicam non diversam a Clodia majore esse plenius ostendit Schwabius, *op. laud.*, § IV-V, de amoribus Catulli.

O lutum, lupanar,
Aut si perditius potest quid esse [1].

Abs re alienum videretur diutius in Clodiæ majoris moribus inquirendis nos immorari ; satis habebimus si dixerimus eam, quod non est infitiandum, venerem non cum Publio fratre tantum scelestam exercuisse, sed cum aliis pluribus indomitæ libidinis sitim explevisse ; in Lesbia enim amanda sese exceperunt Clodii, Valerii (Catullus Clodiam amare cœpit vivo adhuc Q. Metello viro), Gellii, Cælii, Egnatii, Vettii, aliique ; ita ut jam intelligas vicinius opinione veritati esse Catullianum opprobrium illud, in vulgatissimam amicam jactatum :

Cum suis vivat valeatque mœchis,
Quos simul complexa tenet trecentos [2].

Clodiam minorem, sororum liberorumque omnium natu minimam, L. Licinium Lucullum Ponticum in matrimonio habuisse jam dictum est ; addendum, mulieri ei impudicæ malæque Lucullum, Romam post Mithridaticum bellum reducem, nuntium remisisse, quum P. Clodius frater cum ea quoque incestam consuetudinem habere diceretur [3].

Non solum P. Clodius, ut ad eum revertamur, male audivit propter duas sorores Clodiam majorem, Q. Metelli conjugem, Lesbiam Catulli, Clodiamque minorem L. Luculli ; verum etiam propter sororum natu maximam, quæ Marcio Regi nupserat. Tenebat enim fama tribus sororibus illum sororium adulterum corpus miscuisse : non pluris fecerat tres sorores quam Bonam Deam, si jocose dictum a Cicerone vertere licet [4]. Quid plura ? Male audivit propter Appium fratrem, qui in eum infamis fuisset [5]. Non e solo Tulliano fonte, sed e variis fontibus hæc crimina manant. Quidquid id est, infamiam istam P. Clodio detrahendam aliis facile relinquemus.

Neque majorem operam dabimus, ut certiores fiamus utrum

1. Cat., *carmen* 42.
2. Cat., *carmen* 11.
3. Plut., *Lucullus*, 38, 1 ; *Cæsar*, 10, 3, etc.
4. Plut., *Cicero*, 29, 2 ; Cic, *Ep. ad famil.*, I, 9, 15.
5. Cic., *pro P. Sestio*, 7, 16 ; cf. *Schol. bobiens.*, p. 295.

P. Clodius cognomine tantum an re ipsa pulcher fuerit; haud immerito, ut nobis videtur, pulchra Clodium facie fuisse demonstravit pluribus locis allatis et inter se comparatis sagax in conjecturis criticus quidam, simul autem eum propter libidinum intemperantiam faciem languidam et macie torridam quam maturrime obtinuisse [1].

Nostra pluris interesset nosse num P. Clodius in dicendo valuerit, quum vir dicendi peritus tantam apud Romanos liberæ reipublicæ tempore auctoritatem habuerit. Is sane videtur non aliqua eloquentiæ laude caruisse; eum enim disertum fuisse Velleius scripsit [2], tenemusque titulos plurium orationum ab eo habitarum, scilicet in Catilinam, pro M. Æmilio Scauro, in qua oratione cum M. Cicerone egit [3], pro L. Cornelio Lentulo Nigro [4], in Procilium aliosque tribunos anni U. c. 698, qua in causa diserto epilogo criminans, ut fatetur M. Cicero, mentes judicum moverat [5], in Cn. Pompeium, in Milonem, in Tullium, aliarumque. Quantum ex indole viri conjectare licet, hanc præcipuam verborum atrocitate eloquentiam fuisse ausim contendere, quasi rabiosam et ira flagrantem, quæ demum tribuni furoribus responderet. Sed plane dissimilis M. Ciceroni, cui dicendi facultas potissimum ad rempublicam regendam momentum semper visa est, rarius eloquentia usus est, quam ut ipsius dicendi generis ratio habenda sit in vita civili exponenda. Non in palæstra scholastica pessimas suas pessima conata perficiendi artes didicerat, immo in gladiatoria.

Bis uxorem P. Clodius duxit, primam Pinariam, Fulviam alteram. Illam solummodo ex Tulliano loco cognitam habemus, ubi de L. Pinario Natta, pontifice, qui domui ejus consecrandæ adfuerat, fratre uxoris Clodianæ, eodemque L. Licinii Murenæ consulis a. U. c. 692 (a. C. 62) privigno, locutus est [6]; unde apparet Pinariam Clodii vivam adhuc esse anno 696 (a. C. 58),

1. Videas L. Schwabium de Clodiana pulchritudine disserentem, *op. laud.*, pp. 93-101.

2. Velleius Paterc., II, 45; cf. Plut., *Cæsar*, 9, 1 : λόγῳ λαμπρός.

3. Asconius, *in Scaurian.*, p. 20; cf. Cic., *pro M. Scauro*, 2, 37.

4. Val. Max., IV, 2, 5. Hic agi de L. Cornelio Lentulo Nigro, competitore A. Gabinii in consulatu a. 695 (59) ambitusque reo, probabile videtur.

5. Cic., *Ep. ad Atticum*, IV, 15, 4; hæc causa a. 700 acta est.

6. Cic., *de domo sua*, 45, 118; 52, 134; 54, 139. Cf. Drumann, *Geschichte Roms*, II, p. 370.

quo conjux famosum tribunatum suum gessit, quum frater Natta ipsius precibus adductus fuerit ut Tullianam domum consecraret. Credendum eam non multo post interiisse; nam constat Publium, anno 702 interemptum, ex posteriore uxore duos liberos procreasse.

Agitur de notissima M. Fulvii Bambalionis, Tusculani viri, filia, Fulvia scilicet, quæ ob divitias ter nupsit, unicuique maritorum suorum, P. Clodio per vim oppresso, C. Scribonio Curioni in prælio a Jubæ copiis interfecto, M. Antonio demum qui se ipse interfecit, fatalis futura. Digna Publio conjux, nihil muliebre præter corpus gerens [1], num in consilia a marito adhibita fuerit, non dubitandum videtur; nec tamen rem penitus introspicere, silentibus documentis, unquam licebit. Id solum nos edocent eam invidiam cædis in maritum perpetratæ auxisse, vulnera ejus cum effusa lamentatione omnibus ostentando [2].

Duos liberos parvulos e Fulvia susceptos P. Clodius reliquerat; propter infantiam causæ in Milonem non participes fuerant, quam prosecuti sunt eorum consobrini duo, scilicet Appii Claudii, qui erant Caii, Publii fratris, filii [3]. P. Clodium Pulchrum, P. filium, in Albano morantem, interficere, patre jam interfecto, T. Milo voluerat, sed puer fuga cædi subtractus est [4]. Postea, a. U. c. 710, scilicet cum Publii filius annum circiter decimum vel duodecimum agebat, de eo optima in spe puero reposito M. Antonius vitricus, nempe alter Fulviæ conjux, ad M. Tullium scribit, ut insitam cum Clodiorum familia simultatem deponat; quam in honorem Antonii jam remisisse respondet Cicero [5]. Eumdem, postquam enervem juventam egerat, fœdo morbo interceptum tradit Valerius Maximus [6]. Alter Publii liber Claudia fuit; hanc Octavianus a. U. c. 711 duxerat uxorem, vixdum nubilem, eamdemque mox, simultate cum

1. Velleius Paterc., II, 74.
2. Ascon., *in Milonian.*, p. 33. Utrum Pinariæ an Fulviæ mater fuerit Sempronia, Tuditani filia, socrus P. Clodii, quæ testimonium dixit in judicio Miloniano (Ascon., *in Milonian.*, p. 41), mihi non constat.
3. Id., *ibid.*, pp. 35, 39-40.
4. Id., *ibid.*, p. 36.
5. Cic., *Ep. ad Atticum*, XIV, 13, A. B.
6. III, 5, 3. Ad eumdem spectare videtur inscriptio *Corporis inscr. latin.*, I, 1043.

Fulvia socru exorta, intactam adhuc dimisit [1]. Nec de progenie Clodiana plura nota sunt.

Si Varroni fides, Appius liberorum natu maximus adeo pauper a patre a. 678 relictus fuerat ut in adolescentia sua domi mulsum non bibere propter parsimoniam debuisset [2]. Quod ad Publium attinet, juvenilem inopiam pro divitiis magnis postea mutavit. Unde eas hauserit, utrum more solito prædas e provinciis petierit, an hereditate suorum mulierumque dote ditatus sit, incertum. Sæpissime duarum domuum in Palatio mentio occurrit. Una, Tullianæ domui continua, ex parte M. Cælio, decem millibus aiebat Cicero, triginta millibus HS contendebat Clodius cujus tum insula venalis erat, locata erat [3]; nam, quo commodius suo in Clodiam majorem amori indulgeret, M. Cælius ædes Clodii Palatinas habitatum venerat. Alteram ante paucos menses emptam de M. Scauro habitabat, quum eum Milo occidit. Hæc erat magnifica Scauri domus, immo regia, cujus assurgebant marmoreæ columnæ in ea parte Palatii, quæ, cum ab Sacra via descenderis et per proximum vicum qui est ab sinistra parte prodieris, posita est. Plinio eam Clodium sestertium centies et quadragies octies emisse asserenti vix ausim credere [4]. Villa Albana jam nominata est; ultra Bovillas jacentem inter XIII et XIV miliarium in via Appia ad sinistram [5], eam Clodius ingentibus substructionum molibus auxerat. Notum est insuper prædium Clodianum in Etruria situm [6]. Complexi animo Clodianarum fortunarum magnitudinem, jam facilius intelligemus quo modo tot operas in perniciem reipublicæ semper parare Clodio licuerit.

His de familia tribuni et de pluribus argumentis quæ ad eum pertinent præmissis, qualis in variis reipublicæ muneribus obeundis P. Clodius exstiterit, nunc videndum.

1. Suet., *Octav.*, 62.
2. *De re rustica*, III, 16, 2.
3. Cic., *pro M. Cælio*, 7, 17.
4. Ascon, *in Scaurian*, p. 27; *in Milonian.*, p. 33. Plinii *hist. nat.*, XXXVI, 24, 2.
5. Vid. Ern. Desjardins, *Essai sur la topographie du Latium*, Paris, 1854, pp. 121 sq., 210.
6. De re familiari Clodii, vid. Drumann, *Geschichte Roms*, II, p. 367 sq.

§ II. Quomodo P. Clodius ad rempublicam accesserit.

Quæ P. Clodio adolescenti ob oculos Romæ versata sunt futuroque tribuno documento fuere, non ea natura fuisse videntur ut petulantem animum juvenis, omnis superbiæ ferociæque plenum frenare vel in melius mutare potuerint. Undecim circiter annos natus, Syllanæ dictaturæ proscriptionibus, cædibus, ruinis adfuerat, majorque natu Lepidi consulis rebellioni. Hac tanta perturbatione civitatis citius intellexit omnia ei per fas et nefas esse miscenda qui primas sibi in republica partes expostularet. Igitur, ubi primum ætas patiens militiæ fuit, in militia ipsa occasionem arbitratus est sibi oblatam ad concitationes faciendas.

Adolescens in Asiam profectus, in bello Mithridatico quod iterum exarserat cuique L. Lucullus cognatus jam inde ab a. 680 (a. C. 74) præerat, initium armorum fecit. Lucullo legatus erat[1], sicuti Appius frater qui sub iisdem signis militabat. Sed, quum hunc honorem sibi adolescenti satis esse non arbitraretur, statuit exercitum cognati per scelus sollicitare. Haud difficile ei fuit legionum sensu uti jamdiu duci offensarum, quum pluribus jam annis belli finis procrastinaretur; quum Lucullus, ut erat operum exactor perquam attentus, multa militibus injungere soleret, nec sciret, homo rari aditus, sermonis comitate pecuniæve largitione, ferream militiæ disciplinam paululo solvere; quum, super cetera, magna pars Luculliani exercitus constaret deterrimis his militibus qui jam bis rebellaverant, Valerii Flacci consulis, Fimbria auctore, interfectores, et adversus imperium ejusdem Fimbriæ contumaces. Sceleri Clodii igitur studia militum non deerant.

Qui simul eos allocutus est, dicens Luculli legiones nullum tam duræ militiæ præmium unquam laturas, tantum ducis currus et camelos regia præda onustos semper comitaturas esse, illisque insuper ostendens Pompeianos milites, civili Sertorii bello servilique Spartaci quasi uno anno confectis, Romam

1. Sallusti *histor. fragm*, ed. Kritz (Lipsiæ, 1853), p. 383, n. 51.

prope conjuges et liberos cum spoliis amplis reversos, statim exorta est seditio. Ad Nisibin tumultuati sunt milites quos ad rebellionem Clodius nefandis criminationibus corruperat, anno U. c. 687 (a. C. 67), nec diutius Lucullum contra Tigranem sive contra Mithridatem sequi voluerunt. Victi tamen aliorum militum precibus, polliciti sunt se ea æstate, æstate verum una, cum Lucullo mansuros, et sub exitum æstatis omnino ex castris discesserunt. Interdum vero Mithridates Tigranesque adventare ferebantur. Quid plura? magnis variisque cladibus Romani affecti sunt. Quo factum est ut Lucullus celeriter se recipere coactus fuerit, Cappadociam Pontumque amiserit, et ineunte a. 688 Mithridaticum bellum in deterrimum statum, in quo octo ante annos idem Lucullus illud exceperat, reductum fuerit [1]. Hoc principium reipublicæ gerendæ P. Clodius habuit, qui tempore seditionis Fimbrianorum militum a se concitatæ sextum et vicesimum vitæ annum agebat.

Quamvis ex insolentia avidus malefaciendi, ut ait Sallustius [2], fuga, ne scelere plecteretur, ab ira Luculli sese vindicaverat, et alium cognatum adierat, Q. scilicet Marcium Regem, anno præcedente consulem, qui in Ciliciam sibi destinatam recens venerat (a. U. c. 687). Hic sane fortuna Luculli edoctus, minimeque cupiens ut et in Cilicia militum fidem Clodius exploraret, eum rei navali præfecit. In novo munere res Clodio parum prospere successit; nam a maritimis prædonibus in prælio victus redactusque in servitutem est [3]. Quot temporis apud eos manserit, incertum. Ut a latronibus se redimeret, pecuniam petivit a Ptolemæo, Cypri rege, socioque romani nominis. Qui quum duo tantum talenta, seu præ avaritia, seu præ contemptu Clodii istius adhuc ignobilis, in redemptionem contulisset [4], piratæ Pulchrum non remiserunt. Pulcher autem iram gravem in regem qui eum non pluris duobus talentis fecerat concepit, et pollicitus est se olim singularem hujus avaritiæ vindictam quæsiturum esse; in quo jurejurando, ut infra patebit, non mentitus est. Attamen piratis Pompeium appropin-

1. Hujus seditionis fontes præcipuos habemus Plut., *Lucullus*, 34-35, Dion. Cass., XXXV, 14-16.
2. *Hist. fragm.*, ed. Kritz, p. 381, n. 43.
3. Addit Cicero, *de harusp. responsis*, 20, 42 : « piratarum contumelias perpessus etiam Cilicum libidines barbarorumque satiavit. »
4. Appian., *de bel. civ.*, II, 23.

quantem reformidantibus (hoc enim anno lex Gabinia lata erat), Clodius libertati redditus est, Antiochiamque Syriæ se contulit.

Quid tum noster? Ut impatiens quietis erat, brevi occasionem seditionis in urbe hac longinqua nactus est. Bellum Antiochenses cum Arabis gerebant; eos se velle auxilio juvare Clodius prædicat. Credendum, cum legati vicem apud Lucullum obtinuisset reique navali præfuisset, eum brevi Antiochiæ nisi primas, secundas saltem partes tulisse. Quidquid id est, non multum moratus est quin statum civitatis, cui subsidio venire credebatur, convelleret. Nonnullos enim Antiochensium ad seditionem concitat, sive se primatum occupaturum esse speret, sive tantummodo avido in novas res ingenio indulgeat. Sed quæ occulte tentaverat, in perniciem ipsius parum abfuit quin ceciderint. Antiochenses consiliis pravis diutius regi noluerunt, hospitemque ipsum, publici otii inimicum, militaris seditionis stimulatorem, prope est factum ut neci dediderint[1]. Illinc igitur evolavit Publius. Tunc Pompeius, bello orientali lege Manilia præfectus, in Asia minore Syriaque militabat; Clodius sub eo meruit [2]. Sed brevi res militaris ei tædio fuit, Romamque reversus est, singularem jam gloriam adeptus omnia fere quibus sese inseruerat conturbata se reliquisse.

Quasi eodem tempore Romam redierat patricius quidam, cui plura cum Clodio communia esse debebant, L. Sergium Catilinam dico. Hic Africam ex prætura obtinuerat et munere functus Romæ versabatur, consulatum in annum U. c. 689 (a. C. 65) petiturus. Sed legati ab Afris Romam missi graviter de eo in senatu questi sunt et repetundarum eum accusaverunt; quam ob querelam nolente L. Volcatio Tullo consule rationem Catilinæ inter candidatos habere, ille fremens a petitione destitit [3]. Sed quum Afrorum legati obnixe proprætoris judicium petere non desinerent, accusatorem Verris istius Africani P. Clodium Pulchrum ex Asia reducem invenerunt [4]. Vetere Romanorum

1. Dio Cass., XXXV, 17.

2. Dio Cass., XXXVIII, 15, de Clodio : συστρατεύσας (cum Pompeio) ἐπὶ πολὺν χρόνον. Hæc militia nihil aliud nisi Antiochense factum excepisse mihi videtur, brevissimeque eam finitam credo, cum P. Clodium a. 689 (a. C. 65) fuisse Romæ constet.

3. Ascon., *in orat. in toga cand.*, p. 89.

4. Plutarchus, *Cato minor*, 19, auctor est P. Clodium jam L. Catilinam accusavisse, scilicet a. 681, quum Fabiæ, virgini vestali, sorori Terentiæ Ciceronis,

instituto, multi quorum animus erat ad rempublicam posterius se conferre, industriam suam a civibus ex aliqua illustri accusatione adolescentes cognosci volebant; gratum enim erat Romanis juvenes iis qui deliquissent, ut catuli generosi solent feris, e Plutarchi verbo, infestos esse[1]. Igitur futurus Catilinæ æmulator causam in Catilinam Africæ nomine suscepit. Hæc causa a. U. c. 689 (a. C. 65), Clodio duodetricesimum annum nato, acta est.

Omnia in ea re miranda esse nobis videntur, accusatoris patronorumque nomina, judicii ipsius exitus. Nam Catilinæ quem se accusaturum Clodius dicebat, eidem patronus M. Tullius adfuit, vel ut verius dicam, propius nihil factum est quam ut adfuerit[2]. L. Manlius Torquatus, hoc ipso anno consul, rem pro reo dixit Catilinaque absolutus dimissus est. Judicatum igitur erat, ut Cicero Attico scribebat, meridie non lucere[3]. Quomodo facta est illa judicii absolutio, si aut illud judicium, aut illa absolutio nominanda est[4]? Pluribus locis constat accusatorem Clodium Catilinæ rei prævaricatorem fuisse, ita ut rejectio judicum ad arbitrium hujus videretur esse facta; nam summa illius voluntate quos voluit judices habuit. Accusator judicesque a reo pecuniam summam acceperant[5]; eoque pacto a judicio repetundarum liberatus est Catilina. Quo factum est ut causa ista, nedum Clodio summo ornamento fuerit, ad dedecus ejus multum valuerit qui turpissime erat prævaricatus.

Postea, sive infamem istum exitum absentia oblitterare debuerit, sive ipse honores publicos jamjam initurus cum provincialium detrimento solito more locupletior fieri voluerit, in Galliam cum L. Licinio Murena proprætore a. U. c. 690 (a. C. 64) se contulit. Hunc Murenam jam vidimus matrem Pinariæ, Clodianæ uxoris, in matrimonium duxisse; qua affinitate usum

incestum cum Catilina objecit; sed Fabia est absoluta, et M. Porcius Cato P. Clodium ignominia circumfusum urbe excedere coegit. Cf. Sall., *Catil.*, 15; Ascon., *in toga cand.*, p. 93. Causam pro Fabia dixerat M. Piso. V. Cic., *Brutus*, 67, 236.

1. Cic., *pro M. Cælio*, 30, 73; Plut., *Lucullus*, 1, 3.
2. Vid. Cic., *Ep. ad Atticum*, I, 2, 1 : ... Catilinam... defendere cogitamus... etc. Cf. Asconium ea de causa disserentem, *in orat. in toga cand.*, pp. 85-87.
3. Cic., *Ep. ad Atticum*, I, 1, 1.
4. Cic., *in toga candida* (Asconius, p. 85).
5. Cic., *Ep. ad Att.*, I, 2, 1; *de harusp. resp.* 20, 42; Ascon., *in orat. in toga cand.*, p. 87.

esse Clodium credimus, ut cohorti prætoriæ adjungeretur. Quam Clodii provinciam tantummodo ex Cicerone notam habemus, qui, ut præsumendum erat, eam non laudibus ornavit : Clodium mortuorum testamenta conscripsisse, pupillos necavisse, nefarias cum multis scelerum pactiones societatesque conflavisse, hæc inimico criminatur quando de haruspicum responsis disputat, oblitus scilicet se septem ante annos L. Murenæ in Gallia proprætoris æquitatem diligentiamque prædicavisse [1], cui rei difficile facienda fides esset, si tot tantaque Clodii contubernalis sui scelera toleravisset.

Anno sequenti, U. c. 691 (a. C. 63), celeberrimo anno Tulliani consulatus Catilinariæque conjurationis, P. Clodium e Gallia Romam iterum reducem ibique mansurum habemus. Quem in Asia vidimus milites ad rebellionem incitantem, Romæ Catilinæ rei prævaricatorem, eum in partes suas perfacile trahere debuisset dux iste seditionis animo vasto, ingenio malo pravoque, qui fæcis urbanæ seditiosissimum et audacissimum quemque coegerat et tota mente ad eversionem reipublicæ incumbebat. Longe tamen aliter res evenit. Parum abfuisse sane quin exemplum plurium juvenium patriciorum secutus nomen suum in conjurationem dederit, sed demum eum se a conjuratis removisse, ex Asconio certiores fimus. Qui verbis Milonianæ P. Clodium in castra Etrusca, Catilinaria scilicet, properavisse alludens, narrat opinionem fuisse, ut Catilina ex Urbe in castra ad Fæsulas profugerat, Clodium subsequi eum voluisse et cœpisse, tum dein mutato consilio in Urbem rediisse [2]. Clodianis hujus anni factis magis adhuc favet Plutarchi testimonium, ex quo apparet Clodium pro M. Cicerone adversus Catilinam stetisse, consulemque ejus in negotio Catilinario promptissima opera, custodia etiam corporis esse usum [3]. Etiamsi quis Plutarcho hæc asserenti credere nollet, et de bonis Clodii erga Ciceronem in tempore conjurationis Catilinariæ officiis dubitaret, nihilominus constaret eum extra nefanda ista consilia mansisse.

Quærenti quam ob causam fieri potuerit ut futurus turbator vulgi Catilinariæ rerum perturbationi particeps noluerit esse,

1. Cic., *de harusp. resp.*, 20, 42 ; *pro L. Murena,* 20, 42.
2. Cic., *pro T. Milone*, 21, 55 ; Ascon., *in Milonian.*, p. 50.
3. Plut., *Cicero*, 29, 1.

non dubitarem respondere, primum ubique se haberi cupientem Clodium Catilinæ imperium ægre toleravisse, periculumque capitis abnuisse, appropinquante jam tempore quo securus prima reipublicæ spatia ingrederetur. Quod per vim et nefas L. Sergius, idem per fas legesque ipsas P. Clodius assequi meditabatur. Agebat tum trigesimum ætatis annum ; secundum hunc annum, tempus Villia lege quæsturæ, primo scilicet populi romani magistratui, constitutum attingeret. Belli aleam, si placet, experiatur Catilina ; se ad quæsturam cæterosque magistratus capessendos Clodius reservabit.

Non mentio a nobis facta est sceleris Clodiani post reditum Romam admissi, cum hujus unicum testem M. Tullium habeamus, Clodium omnium tribuum divisores, quibus in petitionem aliquam de qua non constat nummos daturus erat, ipsum domi suæ crudelissima morte sustulisse [1]. Quæ si vera fuissent, nonne etiam atque etiam P. Clodio de ambitu et de vi reo dies dictus esset?

1. Cic., *de harusp. resp.*, 20, 42 ; cf. *ep. ad. Att.*, I, 16, 13 : « pronuntiare (P. Clodium) solitum esse et non dare. »

CAPUT II.

P. CLODII QUÆSTURA ET AD PLEBEM TRANSITIO.

« Exorta est (a. U. c. 693, a. C. 61) illa reipublicæ, sacris, religionibus,.... judiciis publicis funesta quæstura : in qua idem iste deos hominesque, pudorem, pudicitiam, senatus auctoritatem, jus, fas, leges, judicia violavit [1]. » Quæ Clodii scelera tam atrocem M. Tullio iram moverint, jam exponamus.

§ I. De Bonæ Deæ sacris a P. Clodio profanatis.

P. Clodius, ut audax erat et in venerem effusus, Pompeiam C. Julii Cæsaris summi pontificis uxorem deperibat, cui ne ipsi quidem deerat adulteri amoris voluntas. Sed et Juliana domus accurate custodiebatur, et Aurelia Cæsaris mater, morum honestate matrona illustris, ubique nurui comes erat, qua assectatione difficilem congressum amantium effecerat [2]. Quid Clodius? Bonæ Deæ sacrorum tempus opperiri statuit, quum ea privatim in domo pontificis per uxorem, marito ipso aliisque maribus omnibus illinc recedere jussis, noctu procurarentur. Habitu

1. Cic., *de harusp. resp.*, 20, 43.
2. Plut., *Cæsar*, 9.

muliebri a capite ad pedes vestitus, tanquam mulier in domum Cæsaris ingrederetur, et dum sacra deæ feminæ peragerent, ipse Pompeiæ exoptatæ consciæque amori vacaret.

Nocte igitur sanctissimarum cærimoniarum, ad domum pontificis accedere visa est psaltria quædam, manicatam tunicam et mitram et purpureas fascias gerens [1] ; fores apertas offendit ; ab ancilla rei conscia tuto introducitur. Nec psaltriam hanc insolenter a Pompeia venire jussam ulla feminarum sacra Bonæ Deæ celebrantium dicere potuisset, quum sæpissime hujus deæ sacra ludis jocisque obtentui essent. Clodium vero in hoc habitu muliebri aliqua eo difficilius agnovisset, quod natura glaber [2] nescio quid femineæ formæ repræsentabat. Ancilla igitur ad Pompeiam nuntiatum accurrit amantem insciis omnibus introductum esse, tempusque congressus in cubiculo quodam exspectare. Hic autem impatiens moræ, hinc atque hinc oberrans, cæterum in tam ampla domo transituum minime gnarus, in quamdam Aureliæ pedisequam incidit, quæ nostrum mulierem rata ad colludendum invitat. Ille aufugere tentat ; hæc urget, detrectantemque in medium protrahit, et quæ esset, unde veniret, quo insolito more fugeret psaltriam infortunatam percontatur. Clodius respondere se quamdam Pompeiæ ancillam [3] quærere ; sed simul erat locutus, se esse virum voce prodiderat. Dici vix potest quid admirationis indignationisque injecerit subita illa pedisequæ vociferatio : « Vir, vir adest ! » Subito accurrere Aurelia, C. Cæsaris mater, Juliaque soror, orgiis Bonæ Deæ finem fieri, fores occludi jubere, domum facibus prælucentibus perlustrare, Clodium quærere. Ad extremum deprehensus est et adulter et impius in cella ancillæ, quæ eum domum adduxerat. E cubiculo cum ridendis psaltriæ ornamentis, cum tunica calauticaque strophioque ad lucem protrahitur, agnoscitur, convincitur, et a mulieribus iratis turpiter domo ejicitur. Eadem nocte matronæ domum digressæ rem nefandam maritis aperuerunt, subitoque Clodii scelus urbana fabula factum est [4].

1. Cic., *in P. Clod. et C. Curion.*, 5, 1-3.

2. Falso crediderunt Plutarchus Appianusque Clodium tunc ætatulis causa adhuc imberbem esse (*Cicero*, 28 ; *Cæsar*, 10, 1 ; *de reb. siculis*, 7), quum quæstoriam ætatem jam noster ageret. Cf. Schwabium, *op. laud.*, p. 94.

3. De hujus nomine, Aura, Abra, Hibera, videsis Maium Niebuhriumque ad *schol. bob.*, p. 339.

4. Horum locupletem testem habemus Plut., *Cicero*, 28 ; *Cæsar*, 9-10.

Hæc acta sunt Clodio adhuc quæstore designato [1], scilicet a. U. c. 692 (a. C. 62), ante quintum diem decembrem quo quæstores magistratum inibant [2].

Nos recentiores imprimis advertit quod huic mirificæ rei perridiculum inest. Quis non rideret Appii Claudii nepotem veste muliebri in dissimulationem sui stulte compositum et a famula turpiter detectum ? Sed quantus debuerit esse Romanorum stupor, qui minus riserunt commercium Pompeiæ Publiique patefactum quam cærimonias pollutas horruerunt, facile intelliges. Bonæ enim Deæ sacrificia, instituta pro salute populi romani, pro populo per Virgines vestales fiebant ; fiebant incredibili cærimonia, adeo ut picturæ quoque masculorum animalium contegi solerent, ne nescio quid virilis sexus sacris hujus deæ, cujus ne nomen quidem viros scire fas erat, inesse videretur [3]. Et sacrosanctam illam religionem P. Clodius violaverat, in ipsa domo quæ erat in imperio, in ipsis ædibus summi pontificis, in ipso fonte sacrorum populi romani. Quam autem ob causam iste, vir inter mulieres, muliebribus religionibus se implicuerat, dignus quidem quem justa cæcitate Bona Dea mulctaret ? Quia C. Julii Cæsaris prætoris ejusdemque maximi pontificis cubiculo stuprum adulterum inferebat.

Ubi per Aureliam Cæsar de piaculo certior factus est, ei parum dubitationis dabatur. Etenim nuntium uxori illico remisit [4]. Nec plura fecit, quamvis divortium pontificis maximi factum insigni infamia ab omnibus haberetur ; nedum pollutorum sacrorum Clodium, ut Plutarchus asserit, postulaverit [5], non amplius adulterium religionemque curavit, quia jam de Clodio quædam consilia ad effectum posterius adducenda mente conceperat.

Sed non ad maritum Pompeiæ solum hæc injuria pertinebat, verum civitati etiam toti diisque populi romani P. Clodius pœnas debebat [6]. Clodius incolumis e domo Cæsaris effugerat ;

1. Ascon., *in Milon.*, p. 52.
2. Initio decembris sacra Bonæ Deæ fiebant ; v. Drumann, *Gesch. Roms*, II, p. 204.
3. Cic., *de harusp. resp.*, 17, 37 ; Ascon., *in Milon.*, p. 52 ; Seneca, *Epist.*, 97 ; Juvenal., *Sat.*, VI, vs. 339 sq.
4. Cic., *ep. ad Att.*, I, 13, 3 ; Plut., *Cic.*, 28 ; *Cæsar*, 10, 4, etc.
5. Plut., *Cicero*, 28.
6. Plut., *Cæsar*, 10.

sed magna apud omnes invidia percrebuerat et infamia cærimoniarum [1], adeo ut Publio accusato damnatoque sollemnem religionem expiandam esse censuerint. Tota res e variis Ciceronis locis, præsertim ex epistolis ad Atticum [2], ubi vividis coloribus eam depinxit, nobis nota est.

Cum Virgines vestales id sacrificium instaurassent, ex senatusconsulto mense januario 693 (a. C. 61), auctore Q. Cornificio, lato, res ad pontifices relata est, qui id nefas fuisse dixerunt. Tum senatus decernit omni diligentia consulum curandum ut Clodio incesti reo extra ordinem judicium fiat [3]. Tulerunt igitur rogationem de incesto Clodii consules M. Pupius Piso, M. Valerius Messala, vario autem animo ; nam Piso lator rogationis idem, utpote amicus Clodii [4], dissuasor erat ; Messala vero severissime agere non destitit. Secundum Pupiam Valeriam rogationem, judices uno prætoris arbitrio legerentur, nec more solito eos prætor sortiretur. Sperabat, credo, senatus integerrimum quemque prætorem ob eam rem electurum esse, magis ejus arbitrio quam sorti fisus. Sed P. Clodio, a crocota, a mitra, a mulieribus soleis, a psalterio facto repente apud fæcem romanam populari [5], adfuit Q. Fufius Calenus, tribunus plebis, qui multitudinem incitavit ut seditionis impetu Pulcher causam dicere impediretur. Clodius ipse, jam quæstor factus, contiones habebat ut consulari petitioni maxima plaga foret injecta [6]. Pompeium inter hæc ex Oriente reducem Fufius, Pisonis consulis impulsu, in contionem habitam in circo Flaminio produxit, ab eo quæsiturus num rogationi de judicibus eligendis assentiret. Pompeius μαλ' ἀριστοκρατικῶς et in circo Flaminio et postea in senatu locutus est, id est senatusconsultum laudavit.

Venerat dies rogationi ex senatusconsulto ferendæ, qui fuit inter VI kalendas idusque februarias. Clodius, hinc jam in arte solers populares operas ordinandi, multos conduxerat, qui pontes occuparunt, quibusque tabellæ antiquationis solæ ministratæ sunt. Alia parte Fori concursant barbatuli juvenes, duce C. Scribonio Curione filio, tumultumque alunt. Nequidquam ;

1. *Schol. bob.*, p. 329.
2. *Ep. ad Att.*, I, 13, 3; 14; 16 (passim).
3. Ascon., *in Milon.*, p. 53.
4. Plutarchus, *de garrulitate*, 18.
5. Cic., *de harusp. resp.*, 21, 44.
6. *Schol. bob.*, p. 330.

nam Catonis, Hortensii, Favonii, quorum insignis opera fuit, multorumque præterea optimatium concursu comitiis dimissis, perierant P. Clodii artes. Senatu frequentissimo habito, quamvis Piso contra pugnaret, quamvis ad pedes omnium singillatim accideret Clodius, quamvis Curio nullum senatusconsultum faciendum censeret, e CCCCXV senatoribus CCCC ut consules populum cohortarentur ad rogationem accipiendam, et ut de ulla re, antequam rogatio lata esset, ne quid ageretur, decreverunt. Fufius tum concessit, immo concedere visus est. Nam, dum Clodius contumeliosas in quosdam optimates, Lucullum, Hortensium, C. Pisonem, Messalam, Ciceronem, contiones habebat, excogitaverat Hortensius, concordiam inter cives conciliaturus, ut legem Fufius ipse ferret de religione; quæ Fufia lex nihil alio a rogatione Pupia Valeria differebat, nisi judicum genere: non jam a prætore eligerentur, sed sorte ducerentur. Aiebat Hortensius nullis Clodium judicibus effugere posse et vel plumbeo gladio jugulatum iri; aliquid igitur remitteret senatus in concordiam ordinum. Remisit, sed in eo senatus optimatesque omnes vehementer decepti sunt. Satius esset ut Fufius rogationi consulari semper intercederet, ita ut Clodius, causa non dicta, in infamia incesti relinqueretur.

Ad extremum ex lege Fufia Hortensiique consilio judices dati sunt [1]. Clodium accusavit L. Cornelius Lentulus Crus, subscribentibus Cn. Lentulo Marcellino, L. Lentulo Nigro et C. Fannio [2]; reo adfuit C. Scribonius Curio pater [3]. Optimates, qui jam ante Clodium odio habebant et cujus scelera, seu ficta seu vera essent, uno eodemque tempore expiata volebant, eum accusaverunt partim ob incestum domui pontificis maximi allatum, partim ob defectionem Nisibiticam quæ res in Oriente gestas prope in præceps dederat, præterea vero quod cum sorore Clodia minore, cui L. Lucullus nuntium remiserat, rem habuisset [4]. Qui enim, olim rei cognatus, Publium cum sorore germana incestum fecisse juratus se ancillis ad quæstionem præbitis dicebat comperisse [5]. Facta hujus generis potentissimorum senatorum coitione,

1. *Schol. bob.*, p. 330.
2. Cic., *ep. ad. Att.*, II, 24, 3; Val. Max., IV, 2, 5; *Schol. bob.*, p. 330, 336.
3. *Schol. bob.*, p. 330.
4. Plut., *Cæsar*, 10, 3; Dio Cass., XXXVII, 46.
5. Cic., *pro Milone*, 27, 73; Plut., *Cicero*, 29, 2; *Cæsar*, 10, 3.

cui in incerto habita esset futura judicii ignominia? Fuit enim, non in reum vero, sed in judices.

Rejectio judicum maximis clamoribus facta erat, homines nequissimos rejiciente L. Lentulo, frugalissimum quemque P. Clodio secernente. Nunquam « turpior in ludo talario consessus fuit. Maculosi senatores, nudi equites, tribuni non tam ærati, quam, ut appellantur, ærarii. Pauci tamen boni inerant[1]... » Noverat sane illud Philippi, Macedonum regis, P. Clodius, omnia castella expugnari posse, in quæ modo asellus onustus auro posset ascendere; et largitionibus judices cœpit corrumpere. Nam trecena millia, quadringena etiam accepisse dicti sunt[2]. Biduo, adjutore M. Licinio Crasso, cujus ad divitias Publius confugerat, totum negotium confectum est. Nec dati solummodo judicibus nummi sunt; verum etiam, ut omni genere infamiæ judicium istud abundaret, adulterii reus judicibus adulteria divisit, nam noctes matronarum certarum adolescentiumque nobilium introductiones nonnullis judicibus mercedis loco erogatæ sunt[3]. Jam tranquillo animo causæ adere poterat Publius, « ante judicium adulter, in judicio leno[4]. »

Depulsio Clodii de sacris Bonæ Deæ pollutis incestoque Pompeiæ — in eo enim erant omnia — expeditissima illa fuit: se eodem die, eadem hora Interamnæ fuisse, quæ millibus passuum ferme LXXXX ab Urbe distat; facultatem igitur incesti cujus reus erat Romæ committendi non habuisse[5]. Etenim C. Cassinius Schola, Interamnas, familiarissimus P. Clodii, Clodium apud ipsum mansisse qua nocte virgines in operto pro populo romano sacra faciebant, testis fuit[6]. Id Thalna, Plautus, Spongia, cæteræque hujusmodi quisquiliæ testimonio roboraverunt[7]. C. Julius Cæsar autem, testimonium de causa gravissimum jussus dicere, nihil se eorum quæ Clodio objicerentur cognitum habere, stupentibus omnibus, respondit seque uxorem pro adultera unquam habuisse negavit. Cur ergo Pompeiam sine mora dimisisset L. Lentulo accusatori quærenti notissimum

1. Cic., *ep. ad Att.*, I, 16, 3.
2. *Schol. bob.*, p. 331.
3. Cic., *ep. ad Att.*, I, 16, 5; Val. Max., IX, 1, 7; Sen., *Ep. ad Lucil.*, 97.
4. Sen., *ibid.*
5. *Schol. bob.*, p. 330.
6. Cic., *de domo*, 30, 80; *pro Milone*, 17, 46; Ascon., *in Milonian.*, p. 49.
7. Si hæc nomina non ficta a Cicerone sunt; videas *Onomast. Tullianum*.

illud dixisse fertur : se uxorem repudiasse, quod C. Cæsaris uxor non modo facto turpi, sed etiam levissima facti suspicione vacare deberet [1]. Nec accusatori servos in quæstionem petere licuit, utpote in diversas provincias a domino missos ; quinque enim servi, in quos maxime suspicio congruebat, in Græciam ad Appium, rei fratrem, aut trans Alpes profecti erant [2]. Itaque jam nihil valere testimonium ancillæ hujus Pompeiæ delicatioris quæ conscia virum admiserat, in tormenta postulatæ, facilius dictu erat.

Quot hactenus testimonia dicta, tot mera mendacia narrata erant. Cassinium aliosque similes Clodius pretio conduxerat ; Cæsar autem, cum Clodium incolumem cuperet, ignarum egerat, offensionemque deposuerat futuræ commoditatis causa [3]. Quidam tandem vocati sunt, quorum testimonia premere reum debuissent. Feminæ enim quæ sacrificio Bonæ Deæ hac sacrilega nocte interfuerant de interventu virili testimonium dixerunt [4] ; inter quas eminebant Aurelia Cæsaris mater et Julia soror. Quæque apud judices omnia ex fide retulit; Aurelia dixit suo jussu istum dimissum esse [5]. Quod testimonium gravius excogitari potuisset ? Quis jam Clodium, quamvis mentitum, reum ac non millies condemnatum iri arbitratus esset ?

Magna M. Tullium exspectatio præcesserat. Rumor enim ferebat eum gravissimum in Clodium allaturum esse testimonium, dum ipse, jam Clodio offensus, non plurium instar demitigatus fuisset, nec in causa ipsa vela contraheret quomodo in lege Fufia contraxerat [6]. Sed multos fugiebat Ciceronem in ea re a Terentia uxore incitatum esse ut Clodium, quæ novisset dicendo præcise, apud judices criminaretur. Sciendum enim est Clodiam, scilicet majorem, Ciceroni olim, jam ducta Terentia, nubere voluisse, idque egisse per Tullium quemdam, Ciceronis socium et sui familiarissimum [7]. Inde uxor, Clodiæ Clodiorumque odio incensa, maritum perpulit ut hac occasione usus Clodium ag-

1. Plut., *Cicero*, 29 ; *Cæsar*, 10, 4 ; Dio Cass., XXXVII, 45, etc.
2. *Schol. bob.*, p. 338 sq.
3. Appian., *de bel. civ.*, II, 14.
4. *Schol. bob.*, p. 338.
5. Suet., *Cæsar*, 74 ; *Schol. bob.*, p. 337.
6. Cic., *ep. ad Att.*, I, 16, 2.
7. Plut., *Cicero*, 29, 1. Cf. Cic., *ep. ad Att.*, I, 16, 10 : « Narra patrono tuo, qui Arpinatis aquas concupivit. »

grederetur. Testis igitur exstitit M. Tullius, sive veritati studeret, sive uxori Terentiæ se purgare vellet. Se nihil dixisse pro testimonio narrat, « nisi quod erat ita notum atque testatum, ut non potuisset præterire [1]; » scilicet ait Clodium salutatum domum suam venisse ac de quibusdam rebus secum collocutum esse, qua ipsa die Clodius se Interamnæ fuisse affirmaverat [2]. Hac re jurata, Clodioque incestum uno absentiæ argumento tuente, evidentior adhuc fiebat condemnatio.

Donec M. Tullius testis productus est, causa incredibili severitate acta fuit. M. Tullium autem locutum Clodii advocati tanta acclamatione exceperunt ut totum pæne Forum vocibus impleverint. Altera parte, judices, quasi Clodianis infensi, subselliis consurgere, Ciceronem circumstare, aperte jugula sua pro testis capite reo ostentare; quæ res M. Tullio summo honori visa est. Postridie ingens hominum frequentia ad eum convenit; reus vero patronique spem amisisse dicebantur. Interea operæ, in auxilium P. Clodii conductæ, judicibus periculum denunciabant, si rem in perniciem quæstoris peragerent. Eorum tumultu judices perterrefacti, ut consules ipsis præsidium constituant omnibus sententiis, præter unam solam sententiam, petunt. Senatus, integerrimis judicibus, ut par erat, laudatis, dat negotium magistratibus. Adest dies judicii ultimus; tribunal præsidium consulare occupat; servi Clodiani amicorumque Forum implent. Itur ad suffragia. O incredibilem exitum! Summa judicum LVI erat; Clodium judices XXV damnaverunt, reliquique XXXI absolverunt, « quos fames magis quam fama commoverat. » Quattuor igitur sententiæ solæ P. Clodio ad perniciem defuerant [3]; sed lenocinans Clodiorum Liciniorumque corruptela vicerat.

Hæc acta sunt a. U. c. 693 (a. C. 61), die quadam, de qua non aliter constat, inter idus februarias maiasque inclusa.

Singula Clodianæ causæ recensenda erant, ut plane appareret quanti momenti in republica fuerit quantumque statum Urbis conturbaverit. Asperioribus facetiis judices, Clodium, rem totam optimatium cohors irrideat. Uni eorum judicum qui privatum lucrum præposuerant religioni obviam factus, Q. Lutatius Catulus

1. Cic., *ep. ad Att.*, I, 16, 2.
2. Val. Max., VIII, 5, 5; *Schol. bob.*, p. 330.
3. Cic., *in P. Clod. et C. Curion.*, 7, 1; *ep. ad Att.*, I, 16, 5.

dicat: « Quid vos præsidium a nobis postulabatis? An, ne nummi vobis eriperentur, timebatis [1]? » Contentus sit Cicero sibi juranti XXV judices credidisse, Clodio XXXI, nisi prius accepta pecunia, non credidisse; illum judicio tanquam e naufragio nudum emersisse; judicatum esse non videri virum venisse quo iste venisset; manifestum judicum perjurium increpet; Publium iterum a piratis redemptum cavilletur [2]. Licet viro faceti mordacisque ingenii salibus amaris tanquam solatio uti. Nihil horum impedit quin mores publicos læserit, remque publicam ipsam pæne fregerit exsecrabilis P. Clodii absolutio.

Quod ad mores attinet, in tam tætro tamque multiplici flagitio nescias quem maxime detestere, eum qui ob incestum sacrosancta mysteria polluit, qui inauditum corruptelæ genus excogitavit testium judicumque sollicitator, an eum qui, sacrorum populi romani præses, in conspectu legum palam mentitus est, an eos demum qui jus et religionem pecunia stuproque permutarunt; « minus crimine, ut ait Seneca, quam absolutione peccatum est;... in ea ipsa quæstione plus quam quærebatur, admissum est [3]. » O rem, dii boni, unicam, quæ religionis sanctitatem et auctoritatem legum, in singulos dies hebescentes enervatasque, ad pristinum vigorem revocaret!

Reipublicæ vero totam rem calamitosam fuisse quis est qui non videat? « Reipublicæ statum illum, quem tu meo consilio, ego divino confirmatum putabam, qui bonorum omnium conjunctione et auctoritate consulatus mei fixus et fundatus videbatur, nisi qui nos deus respexerit, elapsum scito esse de manibus uno hoc judicio [4]. » Quæ, peracta Clodiana fabula, M. Tullius apud Atticum, dolebat statum rerum omnibus numeris exprimunt. Causam dixerat P. Clodius; nedum omnium optimatium in eum coitio facta sit, pro eo audacter steterant quidam ex optimatibus ampli, Piso consul, C. Scribonii pater et filius, C. Julius Cæsar, aliique. At saltem, si hoc dissidio uti licuisset in perniciem quæstoris insolentis, jam pluribus multas ob res invisi, et in damnum prætoris illius quem potentiæ cu-

1. Cic., *ep. ad Att.*, I, 16, 5; Plut., *Cicero*, 29, 3; cf. *Schol. bob.*, p. 338.
2. Cic., *ep. ad Att.*, I, 16, 10; *in P. Clodium et C. Cur.*, 1, 5-6; *de harusp. resp.*, 17, 36; *de ære alieno Milonis*, 4, 4.
3. Sen., *ep. ad Lucil.*, 97. Cf. Val. Max., IX, 1, 7.
4. Cic., *ep. ad Att.*, I, 16, 6.

pidissimum suspicabantur, sacrorum Bonæ Deæ pollutio non inutilis reipublicæ ducenda fuisset. Sed hic non in plagas inciderat, quum calidissime respondisset, neque Clodium lædendo neque se ejus patrocinio infamando ; alter turpissimum judicium in victoriam singularem verterat. Omnia igitur secus ceciderant.

Nec finis his staret. Quis enim jam quidve obsisteret ei quem tanti sceleris manifestum judices absolutum remiserant ? Cujus rei causa Clodio quem perdere potuisset, immo debuisset, pepercerat Cæsar ? Subodorabantur quidam Clodium Cæsaremque mox tacito fœdere inter se obstrictum iri, et quid unius audacia efficeret, si alterius ambitioni præsto esset, reformidabant. Magna Ciceroni pericula intendebantur, qui primas partes egerat in Clodiana causa et qui princeps optimatium esse videbatur; majora vero reipublicæ. Omnia prorsus in republica afflicta erant pessimo pessimi sceleris exitu. « Vereor, scripserat Attico M. Tullius de Clodii factis antequam contaminata judicia haberentur, vereor ne hæc neglecta a bonis, defensa ab improbis, magnorum reipublicæ malorum causa sint [1]. » Pauco intermisso tempore, expertum suo detrimento haberet se auguria rerum futurarum ad veritatem cepisse.

§ II. De P. Clodii quæstura.

Sacrorum profanatione constuprataque absolutione reliqua quæ ad P. Clodii quæsturam attinent, ut ita dicam, obscurata sunt. Vix absolutus, confestim se totum tota ingenii vi uni rei assequendæ dedisse visus est, scilicet ut haud impune foret eis qui in ipsius perniciem testimonium dixerant.

Inde igitur capitalis inimicus in M. Tullium cœpit efferri; creberrimis eum contionibus lacessebat, usque adeo ut invectus sit in eum qui mense aprili apud Baias esset, quasi ei non licuisset in suis prædiis esse valetudinique servire [2].

Narravit Attico M. Tullius vividis verbis, ut solet, quæ altercatio inter se Clodiumque idibus maiis senatu frequentissimo facta

1. Cic., *ep. ad Att.*, I, 13, 3.
2. *Schol. bob.*, p. 330 ; Cic., *in P. Clod. et C. Cur.*, 4, 1-2.

sit. Ex ea dijudicare licet quam insigniter quæstor consularem jam tum odisset. En quæ nobis ex hac altercatione degustanda reliquit. « Surgit pulchellus puer, objicit mihi, me ad Baias fuisse. — « Falsum; sed tamen quid hoc? Simile est, inquam, quasi dicas in operto fuisse! » — Quid, inquit, homini Arpinati cum aquis calidis? — « Narra, inquam, patrono tuo, qui Arpinatis aquas concupivit; nosti enim Marianas. » — Quousque, inquit, hunc regem feremus? — « Regem appellas, inquam, cum Rex tui mentionem nullam fecerit? » — ille autem Regis hereditatem spe devorarat. — Domum, inquit, emisti — « Putes, inquam, dicere, judices emisti. » — Juranti, inquit, tibi non crediderunt — « Mihi vero, inquam, XXV judices crediderunt; XXXI, quoniam nummos ante acceperunt, tibi nihil crediderunt. » Magnis clamoribus afflictus conticuit et concidit [1]. » Eodem die, sententiam rogatus, multa de summa republica M. Tullius dixerat, et minacissimis P. Clodii vocibus vehementer oratione continua responderat. Quam orationem postea commode refectam in P. Clodium et in C. Curionem, qui reo adfuerat, plenam et asperitatis et facetiarum, scripsit, et publici juris, ignorante ipso, factam doluit. Pauca deperditæ orationis fragmenta interpres qui Bobiensis dicitur commentario suo inseruit [2]. Desideranda eorum paucitas in causa est cur non multa de P. Clodii quæstura nobis innotuerint.

Se hinc jam popularibus studiis subnixum P. Clodius sentiebat, quæ in judicio non semel eruperant, sublevatum etiam a Cæsare, a Crasso, a Curione patrono causæ, qui, eodem anno censor creatus, eum decies meritum albo senatorio non eraserat [3], fortasse etiam a Pompeio qui, interrogatus a Q. Fufio tribuno, nescio quid ambigue responderat. Igitur gravissima et Ciceroni et reipublicæ denuntiare non desistebat; quin immo se ad familiam plebeiam transiturum, ut tribunus plebis fieret et inimicos immunitos sacrosanctus ipse ulcisceretur, jam prædicabat [4]. Sed prius ut quæstorio munere fungeretur res postulabat.

1. Cic., *ep. ad Att.*, I, 16, 10.
2. Cicero, Orelliana editio altera, vol. IV, pp. 947-950; cf. *schol. bob.*, p. 329 sq.
3. V. L. Lange, *Hist. intér. de Rome* (versio gallica), II (1886), pp. 298, 300.
4. Cic., *in P. Clodium et C. Cur.*, 1, 3; cf. *schol. bob.*, p. 330.

Fenoribus exhaustus, creditoribus suis spem provinciæ, ut ait Cicero, ostentare videbatur [1]. Rapinarum meditatione captus, spem conceperat posse se efficere ut senatus ei provinciam opimam extra ordinem, adjuvantibus amicis, polliceretur [2]. Rem ex sententia gessisset, si Syria utputa ipsi fuisset desponsa. Provincia erat recens in ditionem populi romani redacta ; nondum Romanorum avaritiæ impatiens fieri potuerat ; urbibus magnis opibusque regalibus abundabat ; terra demum, si dici potest, electa, quæ avaritiam P. Clodii alliceret, hoc magis quod ipsi M. Pisoni consuli Syria desponsa jam erat, et Pisone proconsule nihil nefas Clodio videbatur. Sed infracta sunt hominis consilia senatus prudentiæ ; qui, auctore M. Tullio, statim post exitum Clodiani judicii, Syriam M. Pisoni ademit [3] nec quidquam extra ordinem fieri in favorem P. Clodii passus est. Nihil igitur Clodio supererat, nisi ut, more solito, provinciam apud ærarium sorte ductam peteret. Die sortitionis tanto prius ad ærarium venerat, scilicet nimia cupiditate ductus, ut ibi ne scribam quidem quemquam, si Ciceroni fides, offendisset [4]. Siciliam sortitus erat; hanc loquacem insulam, quæ multos repetundarum et famosissimum C. Verrem accusaverat, non despexit, fretumque transivit [5]. Illic C. Vergilium proprætorem habuit [6]; sed, utrum Syracusis an Lilybæi quæsturam gesserit, non constat.

Post quæsturam, quo gratior in Siculos exsisteret, consueverat, Romam reversus, Siculis Romæ degentibus locum gladiatoribus dare ; quo modo eum jam patronum Siciliæ dicerent. Sed ea de re apud Ciceronem, qui ei subobscœnum quiddam et minime consulare respondit, questus est quod soror, quæ tantum haberet consularis loci — agitur de notissima Clodia majore, Q. Cæcilii Metelli Celeris uxore — unum ei solum pedem daret [7]. Atqui cavillationes ac joci M. Tullii intra brevissimum tempus finem habebunt. Nam P. Clodio, quæstura absoluta, consilia, quæ olim post judicium ceperat, nunc licebat efficere ; quod quidem post reditum statim enisus est.

1. Cic., *in Clodium*, 2, 3.
2. Cic., *ibid.*, 2, 2 ; cf. *schol. bob.*, p. 332.
3. Cic., *ep. ad Att.*, I, 16, 8. Erravisse mihi videtur Lange, *op. laud.*, p. 302, locutus de P. Clodii voluntate in Hispaniam eundi.
4. Cic., *in Clodium*, 2, 7 ; cf. *schol. bob.*, p. 332.
5. Cic., *ibid.*, 3, 2-3 ; cf. *schol. bob.*, p. 333.
6. *Schol. bob.*, p. 333.
7. Cic., *ep. ad Att.*, II, 1, 5.

§ III. De P. Clodii ad plebem transitione.

Annales leges consulatui gerendo, id est summo imperio exercendo, tertium et quadragesimum annum constituerant. Decem igitur annos præterire necesse erat, priusquam P. Clodius odium satiare posset. Quot quantaque tam longo intermisso tempore acciderent! Inde non poterat vir intemperantis audaciæ quin aliam ultioni ambitionique suæ viam sterneret. Præsto erat tribunatus plebis, quo tanquam gradu plures in principatum urbanum ascenderant : P. Clodius tribunus plebis creabitur; sacrosancta potestate indutus, inimicos conculcabit, rempublicam, si placet, conquassabit. Sed non licebat patricium tribuniciam potestatem petere, quippe quæ penes solos plebeios esset. Quæ quum ita sint, Appiorum Claudiorum Publius hic nepos, qui assertores unici dignitatis ac potentiæ patriciorum iidemque semper superbissimi ac crudelissimi in plebem romanam visi sunt [1], Publius hic per fas et nefas in plebem transibit.

E Sicilia Romam a. U. c. 694 (a. C. 60) reversus, clausa aliquantisper habuit consilia, cum in Sicilia, Heræ, ædilitatem se petere dictitasset. Sed brevi non simulavit, palamque tribunus plebis fieri cupivit [2]. Qua via uteretur in hanc transitionem jam invenerat. Ei licuisset per legem curiatam ante pontifices, ut moris erat, adoptato in plebeiam familiam transiisse; sed hæc adoptio non fieri poterat, nisi assentiente C. Julio Cæsare, pontifice maximo. Clodium sane non præteribat hunc incesti ignominiam ademere voluisse, eumdemque intellexerat quædam futura de ipso meditari. A famosa autem nocte decembri, redeundi in gratiam cum Cæsare ei deerat occasio. Num pontificem maximum nunc abrupte adiret, petiturus ut per eum ad plebem transeat? Quid, si repulsam ferret in ea re quæ tanquam cardo vitæ facta erat? Nonne ipse totus periisset in præsens tempus et in futurum, si negavisset Cæsar? Non in aleam danda erat hæc transitio :

1. Liv., II, 56 ; Suet., *Tiber.*, 2. Constat Th. Mommsen ab his auctoribus plane dissensisse, *Röm. Forschungen*, vol. I (1864) : die patricischen Claudier, pp. 287 sq.

2. Cic., *ep. ad Att.*, II, 1, 5. Hera, si vera lectio est, eadem est quæ Hybla minor, oppidum Siciliæ, cujus situs ignoratur.

aliunde igitur quærendum auxilium. Eo potissimum anno consulatum gerebat Q. Metellus Celer, cognatus ejus, qui, quamvis optimatium factioni adstrictus, cognatione fortasse moveretur ut P. Clodio faveret. E tribunis unus facillime reperiretur, qui sive ex animi sententia senatui adversari voluerit, sive fidem Clodio pecunia addictam habuerit, rem non invitus susciperet. Hanc viam P. Clodius ingressus est.

C. Herennius, tribunus plebis, homo nequam atque egens M. Tullio auctore, ad plebem P. Clodium mense januario traduxit, legemque tulit ut universus populus in campo Martio, id est comitiis centuriatis, suffragium de re Clodii ferret. Metellus — attamen consul erat egregius et Ciceronem amabat — cognato manus dedit, nam illud idem promulgavit de Clodio [1]. Sed Publio insolenter e patriciis ad plebem traducendo parum rogatio Herennia, etiam Q. Metello adjuvante, profuit. Sæpe jam, scribebat Cicero idibus martiis, C. Herennius de P. Clodio agere cœpit; huic frequenter interceditur [2]. Jam viderat Clodius rem suam intercessione tribunicia in dies procrastinari posse; ut erat consilii plenus et promptus in rebus gerendis, alio se convertit.

Summissi aliquot tribuni rogationem novam tulerunt quæ funditus reipublicæ statum, pluribus jam sæculis firmatum, permutavisset, scilicet de tribunatu patriciis etiam communicando [3]. Quid jam de celeberrima lege fieret, quæ plebeii juris firmissimum columen erat, ut plebi sui magistratus essent, neve cui patrum capere eum magistratum liceret [4]? Itaque lex non perlata est. Quæ ut comperit Clodius, quamdam tertiam brevioremque viam inivit. Illico, nobilitate sua per se ipsum ejurata, plebeiorum juris particeps factus sibi visus est, aliisque videri voluit; et, neglecta optimatium ira justissima qui causabantur Clodium hoc singulari modo non potuisse a nobilitate abalienatum fieri, tribuniciam dignitatem mense maio in annum sequentem, U. c. 695 (a. C. 59), ambivit [5]. Sed in temerarium totius senatus coitio facta est. Qua de re cum in senatu ageretur, hominis petulantiam se fregisse M. Tullius profitebatur. Q. Me-

1. Cic., *ep. ad. Att.*, I, 18, 4-5.
2. Cic., *ibid.*, I, 19, 5.
3. Dio Cass., XXXVII, 51.
4. Liv., II, 33.
5. Dio Cass., XXXVII, 51.

tellus, cujus ope, ineunte anno, tota hæc res orta erat, nunc cognatum ultra progredi præclare impediebat — consul enim erat φιλόπατρις et, ut semper judicaverat Cicero, natura bonus. — Senatus, Cn. Pompeio sententiam dicente, una voce ac mente restiterat. Clodius igitur, refragantibus optimatibus, tribunus designatus non est [1].

Ter viam ingresso, ter opposita divellere nequidquam conato, ei jam res tota perierat, nisi qui plurimum poterant patrocinium ad plebem transitionis profiterentur. Aliquot intermissis mensibus, P. Clodius lege plebeius factus, lege mendaci, lege tamen, tribunus plebis creabatur.

Dum Clodius, Metello et Afranio coss., ad transitionem tribunatumque assequendos adnitebatur, C. Cæsar, Cn. Pompeius, M. Crassus conspirationem illam fecerant, quam Varro Tricaranon, id est monstrum triceps, merito inscripserat [2]. Hi tres potentissimi viri operas sibi invicem mutuas præstiterant, quæ primum huc reciderunt ut Cæsar, invitissima nobilitate, consul in annum 695 (a. C. 59) crearetur. Acerrimas in se principum collegæque ipsius M. Bibuli contentiones, quamdiu fuit consul, Cæsar vicerat. Sed acta sua rescissum, et consilia sua sociorumque interceptum iri, statim ut consulatum exuisset, ex ipso pertinaci adversariorum dolore plane intellexit. Quærendus igitur ei erat aliquis, audax, varius, malorum propositorum executor acerrimus, qui nullum faciendi nosset modum [3], et qui, præclara ipsius opera usus, beneficii memoria devinciretur. In personam illam egregie cadebat P. Clodius Pulcher, qui jam unum totum annum plebeius fieri voluerat, et cujus odium in optimates senatumque insigne, quo plura opposita erant, eo magis coaluerat. Mercedem præteriti testimonii, mercedem præsentis ad plebem traductionis P. Clodius C. Cæsari solvat, triumvirorum cliens factus. In eas conditiones tacitum fœdus alterutrique valde profuturum convenit. Deerat nunc jam sola occasio, ne videretur Cæsar Clodium traducendo optimates sine causa lacessivisse, sed injuriam quam passus esset in eos retulisse. Omnia opportuna fecit, qui unus prudentissimus esse debuerat.

1. Dio Cass., *ibid.*; Cic., *ep. ad Att.*, II, 1, 4-5; *de harusp. resp.*, 21, 45.
2. Apud Appian., *de bel. civ.*, II, 9.
3. Vide quo modo Clodium descripserit Velleius, II, 45.

Insita dicacitate multorum in se odia semper concitaverat M. Tullius [1]. Mense martio, cum C. Antonium, qui collega fuerat in consulatu, repetundarum reum defenderet, quædam de republica questus est, quæ sibi visa esse dicit ad illius causam pertinere. Verius est eum præsentem rerum statum aperte deploravisse, et plurimis verbis Cæsari, hujus judicii auctori, nonnihil conviciorum fecisse [2]. Hæc Cæsar non impune tulit, tanto quidem magis quod Cicero jam eum, nisi inimicitiis apertis, sed ministerio denegato, non semel læserat. Non verbo, re autem ipsa contumeliam oratori retulit. Hora sexta diei hæc incallide Cicero questus erat ; hora nona, illo ipso die, P. Clodius Pulcher est adoptatus [3].

Quod erat Romæ jus adoptionis, vel ut verius dicam, arrogationis, quum arrogentur, non adoptentur ii qui sui juris sunt? Primum a pontificibus inquirebatur num ei qui arrogabat ætas non jam idonea esset procreandis liberis ; quæ causa arroganti arrogatoque esset arrogationis; quæ ratio generum; quæ sacrorum ; num qua calumnia, num qui dolus adhiberetur. Si collegio pontificum, his consideratis, adrogatio placuisset, tum comitia curiata habebantur, et populi auctoritate lex de arrogatione ferebatur [4]. Haud difficile demonstravit M. Tullius nihil horum in adoptione Clodiana quæsitum factumve esse [5]. Non ego eadem illa dicam de jure pontificio, de jure augurali, de jure populi atque legibus, quæ copiosissimis verbis disputavit P. Clodii inimicus. Quædam tamen hic deprehendenda sunt. Adoptavit P. Fonteius plebeius, imberbis adolescens, annos viginti natus, etiam minor, qui habebat uxorem, susciperetque liberos [6]. Adoptatum Clodium statim emancipari jussit Fonteius [7]. Nefas erat agi cum populo, quum de cœlo servatum erat, et M. Bibulus consul eo ipso die de cœlo servavit [8]. Satis fuit trium horarum ut res tota perageretur [9].

1. Plut., *Cicero*, 27-28.
2. Cic., *de domo*, 16, 41 ; Suet., *Cæsar*, 20 ; Dio Cass., XXXVIII, 10.
3. Cic., *de domo*, 16, 41.
4. De ipsa transitione ad plebem a multis disputatum est ; vide ea quæ breviter complexus est A. Bouché-Leclercq, *Manuel des institutions romaines* (Paris, 1886), p. 385 sq.
5. Cic., *de domo*, 13-16.
6. Cic., *ibid.*, 13, 34.
7. Cic., *ibid.*, 14, 37.
8. Cic., *ibid.*, 15, 39-40.
9. Cic., *ibid.*, 16, 41.

Nihil ergo ad morem legitimæ adoptionis factum : omnia corrupta, temerata, violata. Quanta juris irrisio, Fonteio isti adolescenti Clodium, quartum et trigesimum annum natum, adoptandum se dedisse, eoque modo filium contra fas factum esse cujus per ætatem pater esse potuisset ! Etenim, Clodio quindecim vel sedecim annis Fonteium antecedente, Ciceroni hæc per amplificationem dicere licebat. Nonne potuisset Clodius parare sibi adoptatorem quemdam, quem ætate saltem patrem habuisset ? Quid hoc rei erat igitur? Hoc sibi proposuerat, credo, ut neminem Romæ fugeret omnia in republica, omnia etiam apud pontifices, sacrorum jurisque custodes, omnibus licere, dummodo legum litteras nec leges ipsas sequerentur. Eo altius in animos descendet pessimum illud exemplum, quod hic actum est de lege curiata de arrogatione, id est de lege quæ nec rogari nec perferri potuisset, nisi conscium fautoremque nefandorum consiliorum ipsum consulem, ipsum pontificem maximum felix iste Catilina[1] invenisset. Nec Cæsar solus rem impleverat ; et Cn. Pompeius Clodio adfuerat, quum in auspicio fuisset[2]. His artibus id quod jam secundum annum quærebat, P. Clodius erat assecutus, « parentum nomen, sacra, memoriam, gentem Fonteiano nomine obruendo[3]. » Ei plebeio facto, cætera nunc jocus videbuntur. Perget porro ire, sævus inimicis, sociis ipsis metuendus.

Superiori anno, quum de petitione Clodiana in senatu ageretur, M. Tullius per speciem securitatis dixerat « non magnopere sibi laborandum, quod nihilo magis Clodio liciturum esset plebeio rem publicam perdere, quam similibus ejus, ipso consule, patriciis esset licitum[4]. » Deinde vero, exsilio doctus, vere totam rem existimavit, quum judicibus Sestii commonstravit arcum illum in se ipsum, sed etiam in universam rempublicam, traductione ad plebem audacis hominis, esse intentum[5].

1. Cic., *de domo*, 27, 72.
2. Cic., *ep. ad Att.*, II, 12, 1 ; 21, 4 ; 22, 2.
3. Cic., *de harusp. resp.*, 27, 57. Erraret qui crederet nostrum, Claudium hucusque dictum, adoptatione Clodium factum esse, quum transitione ad plebem novorum plebeiorum nomina non mutarentur. Sed sæpissime vocalium au et o discrimen a Romanis factum non est (v. Drumann, *Gesch. Roms*, II, p. 200) ; volente igitur usu, Publius sororesque Clodius Clodiæque nominari soliti sunt, Appius vero frater, semper gentilicio nomine, Claudius.
4. Cic., *ep. ad Att.*, II, 1, 5; cf. *ep. ad Q. fratrem*, I, 2, 15-16.
5. Cic., *pro P. Sestio*, 7, 15.

CAPUT III.

P. CLODII TRIBUNATUS.

§ I. P. Clodius tribunus plebis creatus.

Mox sermo per totam civitatem est datus P. Clodium Pulchrum, quæ graviorem moram fecissent iis jam ablatis, tribunatum plebis in annum sequentem, U. c. 696 (a. C. 58) petiturum esse. Ad Ciceronem rure degentem, ipsis Cerialibus, id est mense aprili, a C. Scribonio Curione allatus est. Hæc autem obstupefacto amico, nam petitione ipsa tribunatus nihil novi Clodius moliebatur, addidit : « Et inimicissimus quidem Cæsaris petit, et ut omnia ejus acta rescindat. » — Quid Cæsar, interrogavit Cicero. — « Negat se quidquam de illius adoptione tulisse [1]. » Hæc ubi cognovit, Cicero, quem minime fugerat amicitiam a triumviris cum Clodio in id potissimum esse institutam ut ipsi alligato impeditoque non jam nefandis eorum consiliis obsistere liceret, gaudio triumphat Atticoque scribit : Nimirum in Publio spes est. Fiat, fiat tribunus plebis [2] !

Quæ fuerat hujus inopinatæ dissensionis causa? Sive Cæsarem transitionis adversus fas per se rogatæ perlatæque pæni-

1. Cic., *ep. ad Att.*, II, 12, 2.
2. Cic., *ibid.*, II, 15, 2.

tuerit, sive, quod multo probabilius videtur, metuerit ne homo ingenio obsequenti tractabilique nimis careret, eum inter vigintiviros de agro Campano ex altera Julia lege agraria dividendo recipi noluerat. « Subcontumeliose tractatur noster Publius; primum, qui, quum domi Cæsaris quondam unus vir fuerit, nunc ne in viginti quidem esse potuerit [1]. » Hoc munere maxime populari denegato, Clodius animo alienato in triumviros fuit; et quemadmodum ei vigintiviratum Cæsar abnuerat, ita legationem a Cæsare oblatam abnuit. Egregiam rationem temporali hominis amandationi obtendens, Cæsar voluerat Clodium ad Tigranem regem Armeniorum proficisci, fœdere inter Cn. Pompeium regemque Romæ confirmato. Eodem tempore agebatur de altera legatione, opima illa, ad exigendas pecunias maxime apta, quam alii Cæsar reservabat. Eo magis exacerbatus, hanc jejunam tabellarii legationem Clodius contempsit [2]; et parvi faciens an pertinaci recusatione bilem commoveret et latoribus et auspicibus legis curiatæ, se Romæ mansurum professus est, tribunatum plebis petiturum, actaque Cæsaris rescissurum. « Incende hominem, scribebat M. Tullius Attico qui Publio tunc familiariter utebatur; amabo te quoad potest. Una spes est salutis istorum inter ipsos dissensio [3]. »

Non rediturum Clodium cum triumviris in gratiam eo magis sibi persuaserat Cicero, quod a Cæsare, honestam hanc periculi declinationem offerente, valde liberaliter invitabatur ipsi ut foret in Gallia legatus vel legatione libera fungeretur [4]. Interdum eum Pompeius de Clodio jubebat esse sine cura, summam in eum benevolentiam significabat; scribebat Clodium affirmasse se nihil contra ipsius voluntatem in Ciceronem esse facturum [5]. Arbitrabatur Cicero periculosum sibi fore Pompeio ea affirmanti credere [6]. Hæsit tamen diu quid Cæsari responderet. Se pugnare malle dicebat; nihil tamen certi. Tandem honorem a Cæsare accipere noluit [7]. Hæc dum gerebantur, Clodius, post legationem repudiatam a triumviris dissidens, sibi tamen conscius sua inte-

1. Cic., *ep. ad Att.*, II, 7, 3.
2. Cic., *ibid.*, II, 7, 2-3.
3. Cic., *ibid.*, II, 7, 3.
4. Cic., *ibid.*, II, 18, 3 ; 19, 5.
5. Cic., *ibid.*, II, 22, 2; 24, 5.
6. Cic., *ibid.*, II, 21, 6.
7. Cic., *ibid.*, II, 19, 4-5 ; IX, 2 a, 1 ; *de prov. consul.*, 17, 41.

resse inire gratiam eorum, nihil habebat certi ; quod fors obtulisset, id acturus videbatur. Modo eum in Cæsarem sociosque impetum facturum esse dixisses ; modo in Ciceronem se convertebat [1]. Quæ quum ita essent, Cæsar, M. Tullio offensus, Clodium adivit, convenitque inter eos ut tribunus plebis Publius crearetur, ea mercede ut omnia in gratiam triumvirorum ageret et Cicero in exsilium pelleretur [2]. Sic evanuerunt quæ aliquantisper Clodii triumvirorumque amicitiam læserant ; nunc eo firmior futura est quod liquerat nec triumviros tribunicia nec tribunum triumvirali ope facile carere posse.

Curavit igitur Cæsar ut P. Clodius tribunus plebis crearetur [3]. Quæ creatio nullo negotio facta esse videtur. Consules in annum U. c. 696 (58) creati sunt L. Calpurnius Piso, C. Cæsaris socer, A. Gabinius, Cn. Pompeii asseclarum princeps. Hunc Pisonem olim, verisimiliter anno superiore post eum prætorem, reum repetundarum fecerat P. Clodius [4] ; sed jam alteruterque omnem dolorem exuerant, concordes ad omne facinus futuri. His ita constitutis, decimo die decembri, Cæsare et Bibulo coss., a. U. c. 695 (a. C. 59), P. Clodius Pulcher, patriciorum Appiorum Claudiorum nepos, tribunatum plebis, sacrosancta potestate indutus, inivit ; quartum annum agebat et tricesimum.

§ II. Clodiæ leges.

P. Clodius Pulcher, adjutoribus Cæsare, Pompeio, Crasso, tribunus plebis erat creatus ut per fas et nefas triumvirorum consilia reipubliæ exitium spectantia statim exsequeretur, inimicitiasque suas in quoscumque et quæcumque voluisset ipse saturaret. Hic et illi mirum in modum consenserant ad senatum

1. Cic.; *ibid.*, II, 22, 1.
2. Plut., *Cato minor*, 33, 3 ; *Cæsar*, 14, 7. Si Dioni Cassio (XXXVIII, 15) creditur, Cæsar Ciceroni legationem offerens, Pompeius Ciceronem verbis de Clodio Romæ retinens, hæc inter se consuluerant ut Ciceronem nihil suspicantem in fraudem adducerent ; sed sciendum est Dionem occultis artibus res explicare solitum.
3. Dio Cass., XXXVIII, 12.
4. Val. Max., VIII, 1, 6.

præcipitandum bellumque factionis optimatium ducibus indicendum. Inter quos eminebant præsertim M. Tullius Cicero et M. Porcius Cato; metuendus unus, quod apud omnes ob eloquentiam plurimum poterat, et quod varios ordines civium circum se congregaverat ut incolumia in republica starent et conservarentur eadem in quibus demoliendis jamjam moliturus erat Clodius; alter autem, quod eum severis institutis informatum semperque sibi constantem turbationi rerum cogitatæ nunquam assensurum esse neminem fugiebat.

Et erat quidam tertius inter optimates qui personam in republica tuitus erat gravem, nempe consul creatus ut impedimentum inferret C. Cæsari collegæ novis rebus studenti; sed ut illum M. Calpurnium Bibulum, qui toto anno nihil adversus collegam potuerat nisi de cælo servavisse domique se continuisse, de via sibi ineunda Clodius deduceret, fraudulentas artes adhibere minime necessarium. Satis esset Bibulum elinguem reddere et qui pro nihilo erat eum flocci non facere. Quæ ita facta sunt. Quum sub exitu consulatus Bibulus in contionem prodiret, ac præter jusjurandum decrevisset de præsenti rerum conditione verba facere, a P. Clodio prohibitus est [1], nec potuit addere quæ olim M. Cicero Q. Metello Nepoti tribuno plebis eadem facienti responderat, rempublicam sua unius opera esse salvam. Conticuit igitur eo die, nec quamdiu Clodius tribunatum gessit ei, nisi muto ore, obstitit.

Non eo puerili, ut ita dicam, modo infringi poterat impedimentum a Tullio Porcioque allatum; in eorum perniciem via fraudis ineunda erat. Animum igitur adjecit P. Clodius, statim tribunus creatus, ad conciliandum sibi quamprimum, variis legibus latis, non plebis tantum sed equitum etiam ipsorumque senatorum, si liceret, favorem [2]. Quorum animos ut sibi suis beneficiis obstrictos haberet, tum consilia sua in medium proferret, omniaque jam ei licerent. Inde ortæ sunt hæ leges Clodianæ, cujus tanta multitudo fuit, ut alium magis legiferum, si dici potest, tribunatum in tota historia romana non facile reperires. Aliis legibus usus est ut præpararet se ad prælium, aliis ut manum consereret inimicosque præcipitaret; sed omnes maximi momenti fuerunt.

1. Dio Cass., XXXVIII, 12.
2. Dio Cass., XXXVIII, 12-13.

Non intermissa mora P. Clodius opus aggressus est. Etenim Cæsare adhuc per viginti dies consulatum gerente, tribuno expeditum erat principium rei facere minime dubio optimates nihil moliri posse. Quatuor igitur ab eo statim tribuno facto, ipso mense decembri, leges rogatæ sunt.

Si quis « illam contionalem hirudinem ærarii, miseram ac jejunam plebeculam [1] » inescare vellet, nihil legi agrariæ præstare jamdudum constabat; neque tamen legem agrariam ullam P. Clodius tulit. Quare legibus hujus generis plebicola noster abstinuerit, jam patet. Erant enim, recentissime latæ et promulgatæ, leges agrariæ Juliæ; num Clodius tribunus consulem Cæsarem tantummodo simulavisset? Insuper, plane intellexerat plebi, otiose in basilicis porticibusque manenti, multo gratius esse annona urbana frui quam agrum quemdam retrusum infelici aratro proscindere; plausibus plebs acceperat legem agrariam Semproniam; quo autem modo legem frumentariam Semproniam? Frumentariam igitur legem P. Clodius tulit. Hæc fuit summe popularis. Etenim, cum antea ex lege C. Gracchi populus pro frumento sibi dato in singulos modios senos æris ac trientes pretii nomine exsolveret, lege Clodia frumentaria factum est ut gratuito jam populus acciperet [2]. De qua Cicero mentionem sane non fecit, quando crimini vertit L. Pisoni leges inspectante ipso et tacente latas [3], ne plebem offenderet, in quam nullus unquam insignius pejusve beneficium contulerat. Quædam eo genere habentur ut, si ea semel concesseris, nequidquam postea revocare volueris. Annonam gratis populo dederat P. Clodius; unus posthac Augustus frumentationes publicas abolere voluit, neque tamen perseveravit [4]. Ex lege Clodia annoniana frumentum populo romano gratuito in perpetuum datum est. Ut solet in legibus hujus generis fieri, sumptus ex ærario publico erogatus est; nam quinta prope parte vectigalia deminuta sunt [5].

Hanc legem frumentariam altera lege frumentaria complevit Clodius, qua Sex. Clodium, parentem suum, rei frumentariæ præfecit, id est omne frumentum privatum et publicum, omnes

1. Cic., *ep. ad Att.*, I, 16, 11.
2. Ascon., *in Pisonian.*, p. 9; *Schol. bob.*, p. 301; Dio Cass., XXXVIII, 13.
3. Cic., *in L. Pisonem*, 4, 9.
4. Suet., *Octav.*, 42.
5. Cic., *pro P. Sestio*, 25, 55; *Schol. bob.*, p. 301.

provincias frumentarias ei tradidit[1]. Curator hic annonæ, qui multis modis Publio adfuit, nomina plebis frumentariæ incidi ab integro jussit, quum ædem Nympharum ipso anno tribunatus P. Clodius incendit ut memoriam publicam recensionis tabulis publicis impressam suis manibus exstingueret[2].

Aliam in vulgus gratissimam legem sibique maxime profuturam P. Clodius tulit, quæ de collegiis dicta est. Sextum ante annum, L. Julio, C. Marcio coss., senatusconsulto collegia sublata erant, ea scilicet quæ adversus rempublicam videbantur esse. Præter pauca atque certa quæ publica utilitas desiderabat, fabrorum exempli gratia aliaque similia, cætera interciderant[3]. Ut plebem sibi conciliaret, societates omnes abolitas lege sua P. Clodius restituit; et non tantummodo illa vetera collegia quæ senatus sustulerat renovavit, verum etiam innumerabilia alia nova conscripsit[4]. Magnam illud nobis admirationem injicit M. Tullium eo simplici animo fuisse ut, horæ etiam momento, sibi persuaderi hanc de collegiis legem ipsi profuturam esse passus fuerit[5], quum nullum aliud aptius Ciceronis perniciei reipublicæque ruinæ instrumentum potuerit a P. Clodio excogitari. Videbimus enim infra quot quantaque his collegiis subnixus admiserit.

Hic quoque Sex. Clodium rei instituendæ P. Clodius præfecit. Quum in kalendas januarias compitalia, id est Larum compitalium solemnia, incidissent, eo ipso die quo A. Gabinius et L. Piso consulatum inibant, statim cum magistris collegiorum ludos Sex. Clodius renovavit; quod fieri passi erant consules conscii antequam lex ipsa de collegiis ferretur. Nequidquam ludos fieri prohibere tentaverat L. Ninnius tribunus plebis[6].

His legibus in favorem plebis plebeculæque infimæ rogatis, nam servi ipsi collegiis compitaliciis inscribebantur, nunc res postulabat ut Clodius populum amplosque ordines sibi conciliaret. Duas igitur leges rogavit, quibus quanquam optimatibus minabatur, se certos tamen, vel inter optimates, sui studiosos habiturum esse jure confidebat.

1. Cic., *de domo*, 10, 25.
2. Cic., *pro Milone*, 27, 73; *pro Cælio*, 32, 78; *parad.*, IV, 2, 31.
3. Ascon., *in Pisonian.*, p. 7; *in Cornelian.*, p. 75.
4. Cic., *pro Sestio*, 25, 55; *in Pisonem*, 4, 9; Ascon., p. 8-9; Dio Cass., XXXVIII, 13.
5. Cic., *ep. ad Att.*, III, 15, 4.
6. Cic., *in Pisonem*, 4, 8; Ascon., p. 7-8.

Centum prope annos legem Æliam et Fufiam respublica tenebat, « propugnacula murosque tranquillitatis atque otii[1], » quibus sæpenumero tribunicii conatus debilitati repressique erant. His legibus (utrum duæ leges fuerint, an una duobus nominibus ex duobus auctoribus vocata, nunc non est locus disserendi [2]) cautum erat ut ne quid cum populo agi liceret eo tempore quo de cælo servaretur ; ut obnuntiare liceret, obnuntiationique cedere necesse esset ; ut intercedere magistratus pares et tribuni possent; ut ne fastis diebus agere cum populo fas esset. Jam intelligimus quare optimates eas leges tanti fecerint, iisdemque deletis deletam ipsam rempublicam universam esse voluerint[3]. Quid enim facilius ad audaciam tribuniciam infringendam, ad aliquam legis lationem magistratusve creationem impediendam quam de cælo servari pronuntiare, ita ut jam nihil populo sciscere licuerit. Sed quidam inter optimates fateri debebant his legibus immoderate et subridicule usum esse anno superiore M. Bibulum, quum quoque quasi die consulatus sui de cælo servaverat collegæque obnuntiari voluerat. Nisi multum jam legum Æliæ et Fufiæ auctoritati immodico usu suo ille detraxisset, non adeo Clodio proclive fuisset leges eas præcipitare. Sua autem magnopere referebat illas antiquari. Cui enim profecisset sacrosancta sua potestas tribunicia, si quotiescumque Ciceronem, Catonem aliosve in jus vocavisset, quotiescumque legem popularem rogavisset, ea de cælo servatione, ea obnuntiatione, procrastinationem nunquam cessaturam quidam nobilitatis fautores ei injecissent [4] ? Rogationem igitur tulit de jure et tempore legum rogandarum, quæ Ciceroni unice iram accendit. Clodiana lege rogabatur ne quis per eos dies quibus cum populo agi liceret de cælo servaret [5]; et ut omnibus diebus fastis legem ferri liceret, id est diebus non solum fastis, verum etiam diebus fastis qui non comitiales habebantur [6].

Quarta lege, si Ciceroni creditur, « illa magistra pudoris et

1. Cic., *in Pisonem*, 4, 9.
2. Videsis quæ post Baiterum *(Onomast. Tullianum)* summatim dixit De-Vit, *Onomasticon totius latinitatis*, sub his verbis.
3. Cic., *de harusp. resp.*, 27, 58; *pro Sestio*, 15, 33.
4. Dio Cass., XXXVIII, 13.
5. Ascon., *in Pisonian.*, p. 9 ; Dio Cass., XXXVIII, 13.
6. Cic., *de prov. cons.*, 19, 46; *pro Sestio*, 15, 33 ; cf. Lange, *Hist. intér. de Rome*, t. II. p. 328.

modestiæ, censura sublata est[1]. » Lege autem Clodia de censoria notione censura minuta erat, at non deleta. Ea enim cautum erat ne jam liceret censoribus aliquem in senatu recitando præterire, nisi eum jam apud eos accusatum et utriusque censoris sententia damnatum esse constaret[2]. Auctor est Dio Cassius hanc legem Clodium rogavisse ut equitum senatorumque gratiam iniret[3]; nec difficile crediderim plures tribuno assensos esse, quum nomina ex albo, censore solo libere decernente, non jam expungerentur, sed judicium de unoquoque senatorum fieret publicum legitimumque. Addemus sibi quoque Clodium hac rogatione in futurum consuluisse, ne a censoribus unquam loco moveri posset; legem igitur sibi salutarem, multis commodam tulit. Fatendum tamen est, censoribus in cujusque vitam inquirendi meritosque infamia notandi jus lege Clodia non habentibus, censoriæ potestatis vim ipsam maxime debilitatam esse; post leges Æliam et Fufiam eversas aliud ruebat arcis senatoriæ fundamentum.

Jamjam peritura omnia in republica sua, periturumque lege Ælia præcipitata propugnaculum pone quod refugiens Clodianos impetus eluderet, aperte sensit M. Tullius. Itaque L. Ninnium Quadratum tribunum plebis, quem adversarium quoque compitaliciis celebrandis Clodius nactus erat, Tullius subornavit, qui collegæ suo intercederet. Hic diceres fabulam inter Clodium inimicumque spectantium voluptatis ergo actam fuisse. Veritus enim Clodius ne collegæ intercessio quæ meditabatur consilia impediret, artificio vincere statuit. Simulavit se cupere cum Cicerone in gratiam redire; majorem culpæ partem Terentiæ imputavit; eum ipsum non oderat; pollicebaturque se, si L. Ninnius ab intercessione abstineret, ei nullam actionem intentaturum totamque simultatem exuturum. His blanditiis, hac fallaci arte brevi effecit ut Cicero Quadrato concordiam suaserit, Quadratusque de intercessione sua decesserit[4]. Nihil igitur jam Clodio obstabat; senatum enim propter summam imbecillitatem quis curavisset? Itaque, quarto die januario, inspectantibus tacentibusque A. Gabinio et L. Pisone[5], quatuor leges

1. Cic., *in Pisonem*, 4, 9.
2. Ascon., *in Pisonian.*, p. 5; *Schol. bob.*, p. 300.
3. Dio Cass., XXXVIII, 13.
4. Dio Cass., XXXVIII, 14; cf. Plut., *Cicero*, 30, 3.
5. Cic., *in Pisonem*, 4, 9.

Clodiæ frumentaria, de collegiis, de jure et tempore legum rogandarum, de censoria notione, latæ sunt et promulgatæ.

Via audaci viro jam patebat; annonaria plebe collegiisque juvantibus, pluribus inter optimates patientibus, conata perficere potest. Igitur nunc Cato Ciceroque e medio removebuntur. Quæ ut ita forent, extremum erat ut consules, cæterum jam conscii, opimarum provinciarum largitione corrumperentur Clodiumque quævis tentaturum æquo animo ferrent. Fœdus fecerunt igitur cum tribuno, mercatores isti provinciarum, ut provincias quas ipsi exoptarent ab eo acciperent. His ita comparatis, promulgatæ sunt uno eodemque tempore, mense februario verisimiliter, Clodianæ rogationes de provinciis consularibus, de exsilio Ciceroni irrogando [1], et possumus addere de Catone ob legationem removendo.

Quanquam C. Gracchus Sempronia sua lege sanxerat provincias consulares per senatum decretum iri, lex Clodia de provinciis consularibus provinciarum decernendarum potestatem senatui eripiebat, easdemque consulibus, extra ordinem, sine sorte, nominatim assignabat [2]. Omnis erat Thessalia, Achaia, Græcia L. Pisoni addicta; Gabinio autem Cilicia. Huic quum Cilicia pretium non satis amplum videretur, lege altera Clodia de provinciis tribunus Ciliciam ad prætorem éxtra ordinem transtulit, Gabinioque pretio amplificato Syriam tradidit [3]. Nec de provinciis tantum lege Clodia statutum erat; verum etiam cautum, ut exercitum consules et pecuniam quantam vellent sibi assumerent [4]. Vinculum hoc adjungendorum consulum non fragile P. Clodius excogitaverat.

M. Porcium Catonem a republica sub honorificentissimo ministerii titulo relegavit. Lex Clodia de rege Ptolemæo et de exsulibus Byzantinis sanciebat ut Cato mitteretur in insulam Cyprum ad spoliandum regno Ptolemæum regem, et deinde Byzantium peteret exsules in civitatem reducturus [5]. Legem vere nefariam in Ptolemæum Cypri regem tulerat Clodius, quum hic, si nondum erat a senatu socius appellatus [6], esset tamen

1. Cic., *pro Sestio,* 10, 24-25.
2. Cic., *de domo*, 9, 24.
3. Cic., *in Pisonem*, 16, 37; *de domo*, 9, 23; 23, 60; *pro Sestio*, 25, 55.
4. Cic., *pro Sestio*, 10, 24; *de domo*, 21, 55, etc.
5. Cic., *de domo*, 8, 20; 20, 52; *Schol. bob.*, p. 301; Dio Cass., XXXVIII, 30; Florus, I, 44; Velleius, II, 45.
6. Cic., *pro Sestio*, 26, 57.

frater regis Alexandrini cujus cum majoribus societas Romanis fuerat ipsiusque senatui amicissimi, quum eodem jure regnaret, quum pacatus regnum exerceret. Sed suarum divitiarum fama miserum perdidit. Egebat ærarium pecunia ut frumentum gratuitum populo romano erogaretur ; quid expeditius, ne plebi annona deesset, quam insulam veteribus divitiis abundantem, rege regno spoliato et cum omnibus bonis publicato, in provinciam redigere ? Tanto quidem magis quod agebatur de Ptolemæo illo qui Clodium a piratis captum duobus tantum talentis missis non redemerat. Dictus est igitur ab homine mendaci Ptolemæus piratas olim adjuvisse ; nunc ergo meritas pœnas populi romani majestati luat sceleratus. Somniare nobis videmur, quando legimus virum quo nullus inter optimates fortior, prudentior,integrior eminebat, M. Porcium Catonem ipsum a perdito tribuno huic infami latrocinio præfectum esse idemque non alto vultu repudiavisse. Sed hæc summa fuit a P. Clodio ad infamiam inimici excogitata solertia, Catonem eo adduxisse ut Cyprum proficisci coactus facinorosi tribuni conscius esse videretur.

Miremur hic quoque ad omnia naturalem Clodiani ingenii dexteritatem. Quum Catonem ab Urbe dimovere statuisset, eum adivit Clodius. Primo blanditiis usus, virum omnium Romanorum sanctissimum, amicissimum reipublicæ, virtute et integritate singulari, laudibus ad cælum extollit. Quo magis nunc et re ipsa benevolentiam admirationemque declaret, jam cogitat de eo rebus Cypri præficiendo. Multi perhonorificam legationem ambiverunt ; sed ipse nullum ea digniorem quam Catonem arbitratur, Catoni igitur libenter eam faciet gratiam. Illud impudentiæ M. Porcio ferendum non fuit ; exclamavit non agi de gratia, sed de insidiis et injuria, nec se ipsum quasi per beneficium Cyprum relegari passurum. « Eia vero, ferociter respondit Clodius, hæc tibi non placent ; invitus igitur eo navigabis. » Tum legem de Catonis legatione pertulit, quæ duabus rebus, ut supra dictum, constabat. Timuerat enim Clodius ne parum laboris foret in pecunia Ptolemæi deportanda Cyproque constituenda, citiusque Romam Cato reverteretur ; ei igitur insuper injunxerat ut Byzantiorum exsules reduceret[1].

1. Plut., *Cato minor*, 34, 2-3.

Hos exsules, cæterum jure damnatos, adeo curabat P. Clodius quod syngraphas cum illis fecerat [1]. Quidquid id est, hoc duplici negotio sibi non commisso, sed imposito, Cato Clodiana legatione fungendi consilium cepit. Sane semper contra extraordinarias hujus generis potestates locutus erat; sed si illi rogationi non pareret, factionibus propter ipsum Urbs agitaretur; alium facillime Clodius reperiret, sui non dissimilem, quem huic rei præficeret. Utilius erat reipublicæ res Cypri Byzantiique per ipsum agi quam per alios [2].

Itaque Cyprum Cato navigavit. Quamvis quæstor, cum jure tamen prætorio, adjuncto etiam quæstore, missus erat; hoc enim munus ei lex Clodia indixerat [3]. Quæ ei erant mandata, optime conficiet. Ptolemæus ad rei famam mortem sibi veneno consciscet, Cypriæque opes integerrime Romam allatæ ærarium populi romani latius quam ullus triumphus implebunt [4]. Clodia lex igitur de rege Ptolemæo Clodio, Catone quamdiu ipse tribunatum gessit ab Urbe amoto, reipublicæque ipsi, ærario pecuniis referto, processit. Sed eam legationem quædam secuta sunt, quæ nullus augurari potuisset quando Cato invitus navem ascendebat; videbimus enim eumdem, ad Urbem reversum, aliquantisper ob res in Cypro gestas a Cicerone alienatum esse, quin etiam P. Clodio favisse.

Profecturus erat Cyprum M. Cato, quum jam M. Cicero in exilium iverat; sic duos inimicos a republica Clodius summoverat, « alterum per honorem turpissimum, alterum per honestissimam calamitatem [5]. »

Quo tempore lex Clodia de provinciis consularibus erat lata, eodem aliam in perniciem Ciceronis P. Clodius tulerat [6]. Hac lege qui civem romanum indemnatum interemisset, ei aqua et igni interdiceretur [7]. Quamvis hæc verba Ciceronis nomen non continerent atque in omnes qui indemnatos cives necavissent statuta esse viderentur, tamen illa lege Clodia M. Tullius solus petebatur. Etenim legis suæ vim retroire voluerat Clodius

1. Cic., *de domo*, 50, 129.
2. Cic., *pro Sestio*, 28-29, 60-63.
3. Velleius, II, 45.
4. Florus, I, 44.
5. Cic., *de domo*, 25, 65.
6. Cic., *pro Sestio*, 24, 53.
7. Velleius, II, 45; Dio Cass., XXXVIII, 14.

ut ad Ciceronem recideret hæc aquæ et ignis interdictio, qui Lentulum et Cethegum reliquosque Catilinariæ conjurationis socios indicta causa necari jusserat [1]. At quid aliud egerat Cicero nisi senatusconsultum ob eam rem decretum exacte servare? Sed non dubitanter Clodius contendet M. Tullium falsum senatusconsultum retulisse [2]; quod falsum vel inane poterat jure dicere tribunus impudens, quum in illa turbulentissima reipublicæ tempestate leges senatusve consulta omnem vim suam ab auctoribus suis acciperent. Debilitato nunc et pæne confracto senatu, non flocci faciendum erat senatusconsultum, quo armatus M. Tullius, quinquiennio ante consul, conjuratos ultimo supplicio affecerat.

Ut exsilium sibi instare intellexit Cicero, senatoria veste abjecta equitisque habitu sumpto, obambulans populo supplicabat: in ipsum igitur Clodium legem scripsisse imprudens confitebatur. Quanta lætitia frui debebat Clodius, hominem Arpinatem videndo eo timiditatis in propria causa delapsum ut dum miserabilis volebat videri mutata veste, coma profluente, ridiculus fieret! Ipse preces supplicis contumeliose per vias interrumpebat: operarum suarum caterva stipatus, undique in angiportibus ei occurrebat; Clodianique, mutatum Ciceronis habitum et squalorem irridentes, sæpe etiam luto et lapidibus consularem virum invadebant [3]. Victoriam tamen sibi pollicebatur Cicero, nam in Pompeio spem posuerat quem Clodio addictum ignorabat, multumque sperabat ab auctoritate equitum et senatorum interposita. Enimvero universus fere equestris ordo vestem una mutans ei in deprecando aderat, et cum equitibus juvenes viginti millibus haud pauciores. Insuper equites in Capitolium convenerant, ac legatos pro Cicerone ad senatum et consules miserant, quum ex equestri ordine, tum ex ordine senatorio Q. Hortensium, C. Curionem, aliosque. Interea L. Ninnius, tribunus plebis, populum hortabatur ut vestem tanquam in publica calamitate mutaret, et senatus convenerat idem senatusconsulto jussurus. Sed hæc omnia secus processerunt, tanta fuit P. Clodii audacia adjutorumque concordia.

Dum senatus deliberabat de squalido amictu ab omnibus

1. Plut., *Cicero*, 30, 4; Appian., *de bel. civ.*, II, 15.
2. Cic., *de domo*, 19, 50.
3. Plut., *Cicero*, 30, 4; Appian., *de bel. civ.*, II, 15; Dio Cass., XXXVIII, 14.

velut in publico luctu sumendo, Clodius cum armatis ante fores curiæ oberrabat, paratus in eam irrumpere si senatusconsultum latum esset. Sed illam sacrilegam contumeliam non adhuc experta est senatoria majestas ; nam, quum vestis mutationem decrevisset senatus, consules A. Gabinius et L. Piso, Clodianorum furorum servi ac ministri, senatum senatusconsulto parere non siverunt et habitum pristinum recuperare coegerunt [1]. Neque Ninnio agendi cum populo de vestis mutatione vel de Cicerone potestatem Clodius permisit ; neque equitibus aditum ad senatum Gabinius dedit; quin etiam L. Ælium Lamiam, equitem romanum, quod esset ausus nomine aliorum pro amico deprecari imperiosus ex Urbe exire jussit edixitque ut ab Urbe abesset millia passuum ducenta [2]. Nec satis ; Hortensium et Curionem, quod legationem cum equitibus in se recepissent, idem consul in jus vocavit, quos in plebem productos Clodianæ operæ verberibus conciderunt; pæne interfectus est Q. Hortensius, ac C. Vibienus senator, qui cum hoc erat una, ita est mulcatus ut vitam amiserit [3].

Non vim solam certaminaque medio in foro, verum etiam alia P. Clodius adhibuit ut conata perficeret, extremumque Ciceroni foret ut exiret a patria. Omnibus patere voluit quæ faciebat, ea omnia ipsum amplissimis in republica viris auctoribus adjutoribusque facere. Itaque produxit in contionem L. Pisonem consulem, eumque interrogavit quid sentiret de consulatu M. Tullii. Crudelitatem sibi non placere respondit Piso [4], significans his verbis qui cives indemnatos necavisset eum jure et merito ex lege Clodia in exsilium missum iri. Hæc contio extra mœnia in circo Flaminio [5] convocata erat, quum C. Cæsar, in Galliam mox profecturus, milites extra Urbem haberet. Illic igitur triumvirum Clodius quæsivit quid de lege censeret. Videri sibi respondit Cæsar Lentulum cæterosque contra leges indicta causa necatos esse, ea itaque a M. Tullio acta velut minus legitima damnavit ; non tamen conveniebat ut de rebus præte-

1. Cic., *pro Plancio*, 35, 87 ; *cum senatui gratias egit*, 7, 16; *Schol. bob.*, p. 249; Plut., *Cicero*, 31, 1 ; Dio Cass., XXXVIII, 16.
2. Cic., *cum senatui gratias egit*, 5, 12; *pro Sestio*, 12, 29 ; *in Pisonem*, 27, 64.
3. Cic., *pro Milone*, 14, 37 ; Dio Cass., XXXVIII, 16.
4. Cic., *in Pisonem*, 6, 14 ; Dio Cass., XXXVIII, 16.
5. Cic., *cum senatui gratias egit*, 6, 13.

ritis talis lex ferretur. De eadem re Gabinius interrogatus, nedum Ciceronem laudaverit, equites et senatum accusavit. Crassus, qui aliquam Ciceroni per filium opem tulit, ipse populi studium sectabatur. Quid plura? Pompeius, in quo spes omnis Ciceroni sita erat, supplicis congressum evitavit. Ita ab omnibus proditus desertusque Cicero cum amicis deliberavit quid sibi agendum esset; hortantibusque Catone et Hortensio ne bellum intestinum Romæ moratus concitaret, voluntarium exsilium subiit [1]. Nunc urbe excedebat Clodii lege pulsus; annum post quintumdecimum ei a quodam Clodii cliente prodito mors inferetur [2]. P. Clodii igitur opera bis occidere debebat.

Ut profectus est in exsilium Cicero, id est medio mense martio circiter, lex Clodia nemine jam resistente facillime promulgata est[3]. Sed quum sponte sua fugisset inimicus,eum Clodius nova lege de exsilio Ciceronis lata [4] ferire statuit, ne ei ubicumque exsulare licuerit redituque in Urbem ab amicis promisso unquam frui. Hac altera lege in Ciceronem, quam legem dici noluit M. Tullius, immo privilegium quum sibi uni irrogata esset[5], cautum erat ut M. Tullius in civitate ne foret, bonaque publicarentur, ut ei aqua et igni interdiceretur, ut ei citra quadringenta millia non liceret esse, ut ne quis unquam de exsule revocando ad populum senatumve referret; ista proscriptio scripta erat quod M. Tullius, falso senatusconsulto relato, indemnatos cives necavisset [6]. Hæc Ciceroni Vibone innotuerunt jamjam ad Siciliam profecturo; sed quum lex Clodia ei mansionem in Sicilia denegaret, statim iter Brundisium versus contulit atque inde Dyrrachium vectus est. In littore græco longis mensibus exsulabit, ac crebro ad Italiam, « ut infeliciter amantes ad amasias, » respiciet[7]. Quod ad legem ipsam de proscriptione Ciceronis attinet, Clodius caverat salvis auspiciis ferretur, ne quis eamdem non rite promulgatam rescinderet; fuere enim quidam clarissimi viri, qui cum rogatione Clodia funere

1. Dio Cass., XXXVIII, 16-17; Plut., *Cicero*, 30-31.
2. Appian., *de bel. civ.*, IV, 19,
3. Dio Cass., XXXVIII, 17.
4. *Schol. bob.*, p. 309.
5. Cic., *de domo*, 17, 43.
6. Cic., *de domo*, 17, 44; 18, 49; 19, 50; *cum senatui gratias egit*, 4, 8; *ep. ad Att.*, III, 4; Liv., *Epit.*, CIII; Plut., *Cicero*, 32, 1; etc.
7. Cic., *ep. ad Att.*, III. 4; Plut., *Cicero*, 32, 1-3.

elatam rempublicam, quod Ciceroni perhonorificum merito videbatur, contenderent, dicerent tamen illud funus juste indictum esse [1]. Sed quanquam nemo de cælo servaverat, rogationem illam, quam, sublato senatu, pulsis omnibus e foro bonis, mercenaria operarum non solum egentium sed etiam servorum caterva jusserat [2], incisam per vim, impositam per latrocinium, contra omnes leges nullo scriptam more, haud immerito asserere M. Tullius poterit [3].

Habemus jam quæ minus mensibus quatuor P. Clodius perfecerat. Viro audaci et ad omnia prompto satis fuerat illud exiguum temporis intervallum ut omnia in republica funditus conturbaverit. Frumentum gratuitum populo præbitum ; collegia plebeculæ servorumque renovata ; optimatium arx expugnata legibus Ælia et Fufia deletis ; censoria potestas graviter minuta ; provinciæ a tribuno consulibus assignatæ ; Cato alligatus impeditusque ; Cicero in exsilium pulsus : hic fuerat hactenus P. Clodii Pulchri tribunatus. Non jam in ea urbe versamur in qua, per quamdam æquabilem juris compensationem, varii civitatis ordines in partem reipublicæ veniebant ; omnia nunc penes unum ordinem, penes plebeculam infimam quæ pessimis libidinibus satiandis majestatem nominis romani obtendit, facta sunt ; vel, ut verius loquamur, penes unum cui per gregales suos comitia, senatum, civitatem totam obsidere licet : Clodius Romæ imperat.

Alias reliquis mensibus tribunatus sui P. Clodius leges tulit, quas hic statim nominandas censemus, ut omnem omnium legum Clodiarum varietatem gravitatemque facilius complectamur. Sed præmonendum nunc de legibus multo minoris momenti agi, quibus ferendis res quædam inopinata locum dedit, quum prioribus legibus ad effectum adduxisset Clodius quæ jam, antequam tribunatum iniret, disposuerat et intra se formaverat.

Cito a Pompeio alienatus, quæ in Asia constituerat, saltem ex parte mutare decrevit. Erat gallogræcus quidam, Dejotari regis gener, Brogitarus nomine, cujus cum legatis P. Clodii nomine Sex. Clodius syngraphas fecerat [4]. Huic P. Clodius pe-

1. Cic., *de domo*, 16, 42 ; *de prov. cons.*, 19, 45.
2. Lex lata est ineunte mense aprili ; vid. Lange, *Hist. intér. de Rome*, II, p. 335.
3. Cic., *de domo*, 30, 79 ; *in Pisonem*, 13, 30.
4. Cic., *de domo*, 50, 129.

cunia addictus jura tradidit quæ socero Pompeius tribuerat. Lege enim Clodia de Pessinuntio Matris Magnæ sacerdote Dejotarus expulsus est illo sacerdotio, fanum Brogitaro sacerdoti assignatum, Brogitarusque rex appellatus a populo romano, quum quondam Dejotarus regali nomine dignus unus a senatu existimatus esset [1]. Non perdiderat, credo, Brogitarus nummos quos ipsius legati Clodianis operis in æde Castoris dividere solebant [2].

Lex Clodia de injuriis publicis nomine tantummodo nota est. Hanc tulerat Clodius per gratiam Menullæ Anagnino cuidam, fortasse ut hunc, scelerum quæ Anagniæ fecerat reum, incolumem redderet. Hic Menulla ob eam legem statuam P. Clodio posuerat in ædibus Ciceronis [3]; qui locus ad auctorem legis de injuriis publicis mire convenire videbatur.

Clodius ille facinorosus legem tamen tulit auctori suo honorificam, provincialibus autem maxime salutarem : lege Clodia de scribis quæstoriis interdictum erat ne hi scribæ in provinciis ex veteri consuetudine negotiarentur [4].

In *Historia naturali* scriptum reliquit Plinius victoriatum, id est nummum victoria signatum quo utebantur tempore suo, lege Clodia percussum esse [5]. Quidam eam legem latam a P. Clodio nostro censent; sed major pars, et ut videtur majore jure, eam latam dicunt a M. Claudio Marcello, circa annum U. c. 650 (a. C. 104); sunt etiam qui alteri antiquiori M. Claudio Marcello, consuli a. U. c. 514 (a. C. 240) eamdem tribuunt [6]. Quod ad nos, non majorem hujus nummariæ legis mentionem adhibebimus, quæ, etiamsi a P. Clodio lata esset, in historia tribunatus illius celeberrimi evolvenda non esset magni momenti.

§ III. Reliqua de P. Clodii tribunatu.

Omnibus in contionibus P. Clodius se Cn. Pompeio, M. Crasso, C. Cæsare auctoribus in consiliis capiendis, adjutoribus in

1. Cic., *pro Sestio*, 26, 56 ; *de harusp. resp.*, 13, 29.
2. Cic., *de harusp. resp.*, 13, 28.
3. Cic., *de domo*, 30, 81.
4. Suet., *Domitianus*, 9.
5. Plin., *Hist. nat.*, XXXIII, 13.
6. Vid. Borghesi, *Œuvres*, II, p. 311.

re gerenda uti prædicabat; exercitum maximum quem Cæsar in Italia habebat se, si vellet, in curiam immissurum minitabatur; hos amplissimos viros et consules secum facere acerrime personabat [1]. Et nemo eum redarguebat. Cæsar in circi Flaminii contione pro eo verba fecerat vel fecisse visus erat; postea, ipso jam in Galliam profecto, Clodius litteras in contione recitaverat, quibus illa sola verba, quasi mutuum amorem significantia, inscripta erant « Cæsar Pulchro; » iisdem Cæsar gratubatur P. Clodio quod M. Catonem ab Urbe removisset [2]. Pompeium vero, Crassum, Pisonem, Gabinium ex omnibus rebus a P. Clodio hactenus actis constabat consiliorum tribuniciorum impulsores adjutoresque semper exstitisse. Sed majore studio novarum rerum et dominationis ipse flagrabat Clodius quam ut pateretur se diutius triumviralis potentiæ ministrum esse et videri. Hæc secum meditatus est, quum legibus suis de annona, de collegiis, de auspiciis, de censoria notione promulgatis, quum M. Tullio in Græcia exsulante, M. Porcio Cyprum navigante, quum elingui jam senatu, debilitatis reliquis magistratibus, se unum omnem omnium in republica potestatem possidere vidit. Jam satis igitur atque super manum aliis commodavit; nunc virium suarum ipse periculum faciet, et commodis suis, dominationi suæ inserviet. Aptissimum tempus erat, nam Cæsar exeunte mense martio provinciam petiverat cum exercitu. Sane Romæ manserant Cn. Pompeius et M. Crassus; sed hunc, cujus nomen in triumviratu Pompeii fama et Cæsaris audacia inumbrabatur, num Clodius longius curaret? illum autem, vaniloquum, incertum animi, in forensi tumultu minime exercitatum, nonne, si ita videretur, præcipitaret?

Ut tantam viri fuisse audaciam intelligamus, pauca nobis de gregalibus ejus, de gente ista Clodia, de exercitu Clodiano [3], ut eos Cicero nominat, dicenda sunt.

Clodianum exercitum jure quidem dixit M. Tullius, quum nullæ unquam perditorum hominum factiones certioris disciplinæ astrictiusque ordinatæ visæ fuerint. Nec primus nec solus Clodius nefandam istam artem « egentes in locupletes, perditos

1. Cic., *de harusp. resp.*, 22, 47 ; *pro Sestio*, 17, 39-40; *pro Plancio*, 35, 86.
2. Cic., *de domo*, 9, 22.
3. Cic., *pro Sestio*, 38, 81 ; 39, 85.

in bonos, servos in dominos [1] » armandi excogitaverat; nam, ante ipsum tribunum, sæpissime servi gladiatoresque armati forum tenuerant, et optimates ipsi suos gregales conducebant : illi notissimi sunt quos in Clodium conscripserat acerrimus nobilitatis fautor, T. Annius Milo. Sed nemo hactenus incompositos natura sua homines solertius Clodio composuerat. Quæ quo modo a tribuno plebis facta sint, pluribus locis narravit M. Cicero [2].

Lege Clodia de collegiis edictum erat ut collegia compitalicia a senatu olim sublata restituerentur. Lustrum quoddam igitur, ut ita dicam, plebeculæ compitaliciæ agendum erat. Hoc lustro Clodius usus est ut collegiorum revocandorum nomine urbanum exercitum sibi addictum conscriberet. In tribunali Aurelio in foro sedebat Clodius; illum adibant non modo liberi, sed etiam servi (servi enim a compitaliciis collegiis non arcebantur) vicatim congregati, nominaque dabant [3]. Hominibus per vicos conscriptis, eos Clodius decuriabat, id est in quosdam manipulos decem hominum distribuebat; dein decuriatos centuriabat, id est centum hominum cohortes instituebat [4]. Denique decuriæ et centuriæ virum certum præficiebat. Eo modo collegia compitalicia Clodius renovavit, immo exercitum ad suffragia, ad vim, ad direptionem, ad convicium (nam cantorum suorum conviciis interdum contiones celebrabat [5]), ad quidvis paratum conscripsit. Hinc jam suæ seditioni erant copiæ, ita compositæ instructæque ut seu in suffragia missæ, seu ad cædem vocatæ, victoria ubique certa potiri deberent.

Constabat e variis copiis exercitus Clodianus. Verisimiliter numerus servorum in eo præpollebat. Servorum omnium celebrata erat tota urbe descriptio, servi quoque agrestes et barbari ex Apennino deducti [6] : gregales isti, divitias et sanguinem sitientes, majoris pretii erant quam ut eos quam plurimos Clodius sibi non allexisset. Nec deerant gladiatores, pretio conducti, qui amphitheatri certamina fori certaminibus variabant.

1. Cic., *pro Plancio*, 35, 86.
2. De tota re vid. Th. Mommsen, *de collegiis et sodaliciis Romanorum*, Kiliæ, 1843, pp. 57 sqq.
3. Cic., *de domo*, 21, 54.
4. Cic., *pro Sestio*, 15, 34; *cum populo gratias egit*, 5, 15.
5. Cic., *pro Sestio*, 55, 118.
6. Cic., *de domo*, 50, 129; *pro Milone*, 9, 26.

Liberos quoque homines reperuisses, præsertim ex plebecula frumentaria et intermortuis Catilinæ reliquiis conscriptos. Suum erat Clodianis operis armamentarium, templum scilicet Castoris, medio in foro, contra comitia ipsa; illuc palam arma comportabantur; illic Brogitari legati nummos dividere solebant; gradus templi erant sublati, aditus revulsus, ita ut templum Castoris armis occupatum toto anno arx Clodiani exercitus et castellum forensis latrocinii factum fuerit [1]. His ex servis, ex conductis, ex egentibus, ex facinorosa perditissimorum hominum multitudine congregatis copiis præerant Lentidii, Lollii, Plaguleii, Sergii, Gellii, Damiones, aliique [2]. Sed inter duces Clodianarum operarum eminebat Sex. Clodius, P. Clodii familiarissimus, qui tribuno in omni re exstitit adjutor ac minister. Hic leges tribunicias scripsit [3], Ciceronis domum diruit, per sex annos urbem cæde et incendiis implevit, mortuoque P. Clodio corpus ejus in curiam intulit ac curiam ipsam incendit. P. Clodio, his copiis, his ducibus stipato, quis in tota Roma obsistere valeret?

Jam, mense martio, gregalium suorum libidini et audaciæ habenas laxaverat; domus et villæ Ciceronis incensæ direptæque erant [4], et in publicum latrocinium nulla vox exorta erat. Eodem ferme tempore, P. Vatinium, qui anno superiore tribunus plebis vehementer actiones Cæsaris adjuverat, C. Licinius Calvus legum in tribunatu violatarum reum fecerat. Vatinius ad tribunal prætoris venit. Sed Clodius, cum quo consenserat, improvisus cum suis militibus adesse, tribunal escendere, judices deturbare, subsellia dissipare, urnas dejicere; quo tumultu effectum est ut accusatio in Vatinium suscepta non potuerit impleri [5]. Omnia igitur in omnes, in triumviros ipsos tentare P. Clodio licebat.

Primum Cn. Pompeium adortus est. Sciendum est Pompeium ex Armenia Romam abduxisse Tigranem juniorem, Tigranis filium, quo tanquam obside ex occasione uteretur; eum L. Fla-

1. Cic., *pro Sestio*, 15, 34; *in Pisonem*, 5, 11; 10, 23.
2. Cic., *de domo*, 5, 13; 33, 89; *pro Sestio*, 51, 110; Ascon., p. 47.
3. Cic., *de domo*, 31, 83.
4. Qui plura de hac re desiderat, adeat opus Iginii Gentile, *Clodio e Cicerone* inscriptum (Milano, 1876, in-18).
5. Cic., *in Vatinium*, 14, 33-34; *Schol. bob.*, p. 310; cf. Lange, *Hist. intér. de Rome*, II, p. 338.

vio senatori, qui prætor factus est eodem anno quo Clodius tribunus plebis, in vinculis apud se detinendum commiserat. Hunc Tigranem Flavio eripere et dimittere P. Clodius constituit. Petiit a Flavio super cenam ut Armenium adduci juberet; namque principem a Pompeio victum alloqui cupiebat. Flavius imprudens Clodio morem gessit; Tigrani vincula solvuntur, adducitur, a Clodio in convivio collocatur. Finita cena, reddi sibi hospitem suum Flavius poscit; sed Clodius nescio quid causatus eum reddere non vult. Res miranda Pompeio refertur; a tribuno plebis Tigranem repetit. Interea autem Armenius Roma profectus, non quidem nesciente Clodio, mare confestim petiverat navemque ascenderat, ut se fuga Pompeio persecuturo subduceret. Sed Tigrane dimisso non solum Pompeium lacessere voluerat Clodius, verum etiam sibi vindicare hominem ipsi olim, si facultas incideret, magnopere profuturum. Itaque Tigranes, vix conscensa nave, Antium delatus est; tempestate, narrat Asconius, dolo malo nautarum, potius dixerim. Hæc ubi Clodio innotuerunt, Sex. Clodium suum, cui plurimam fidem, ut vidimus, habebat, Antium misit, qui Tigranem Romam ad ipsum reduceret. Flavius quoque, quem res non fugerat, ad diripiendum Armenium obsidem profectus erat. Ad quartum ab Urbe lapidem, in via Appia, Clodiani Flavianique obvii inter se fuerunt; pugna facta est, multi ex utraque parte ceciderunt. Flaviani tamen brevi impares fuerunt: Flavius sine comite vix Romam perfugit, M. Papirio, equite Romano, familiari Pompeio, inter cadavera relicto [1].

Nonne erant illa facinora punienda? Sed Pompeio facultatem ultionis Clodius non dedit; etenim eum instantius in dies urget. Quædam a Pompeio in Oriente constituta rescindere aggreditur, amicos Pompeii in jus trahit [2], ut minime obscurum sit nihil jam posse in republica eum qui piratas Mithridatemque vicerat. Ut Clodio Clodianisque operis resistat, Pompeius sibi Gabinium consulem ex amico amicissimum facit. Tunc Clodius eos contumeliis insectatur, eorum asseclas verberibus et vulneribus mulcat, Gabinii fasces frangit, ejusdemque Gabinii cui Syriam lege sua donaverat facultates sacras esse

1. Ascon., *in Milonian.*, pp. 47-48; *Schol. bob.*, p. 284; Dio Cass., XXXVIII, 30; cf. Cic., *pro Milone*, 7, 16; 14, 37.
2. Plut., *Pompeius*, 38, 6; *Cicero*, 33, 1.

jubet [1]. Par pari refert L. Ninnius tribunus plebis, bona P. Clodii consecrando [2].

Bellum intestinum ipsa in Roma coortum erat; sed quædam ex eo manaverunt quæ non præviderat Clodius. Pompeius, qui ob Ciceronem proditum infamia laborabat, reditum ei per amicos præparare cœpit, ideoque in gratiam cum equitibus et senatu rediit. Tum Clodius se hactenus vicisse non solum gregalibus suis, sed dissensione etiam optimatium, expertus est. Ei licuit, reliquis tribunatus mensibus, seditiones forenses prolatare, præ se terrorem agere, cædes lapidationesque facere, bonis insultare, turbulentissimam reipublicæ tempestatem conflare : consulta tamen ei male cesserunt. Qui creati sunt mense quintili consules, prætores, tribuni plebis, plerique pro partibus ejus non stabant. Inter suos tantummodo numerabat Q. Cæcilium Metellum Nepotem consulem, consobrinum, Ap. Claudium prætorem, fratrem, et duos tribunos plebis, Sex. Attilium Serranum, Q. Numerium Rufum, pretio compositos; quorum primus inimicitias sibi olim cum Cicerone susceptas mox precibus senatorum permittere debebat. Tum Clodius percussorem Pompeio subornare decrevit. Cum III idus sextiles Pompeius in senatum venerat, comprehensus est in vestibulo ipso senatus servus quidam P. Clodii, qui, sica de manibus extorta, sibi imperatum esse a P. Clodio ut Pompeius occideretur Gabinio consuli confessus est. Statim Pompeius domum rediit, et, ut petulantiam inimici vitaret, publico caruit toto eo tempore quod Clodiano tribunatui supererat [3]. Mense autem insequenti, Pompeii domus a Clodianis duce Damione liberto obsessa est [4], sed iterum insidias in caput suum comparatas Pompeius effugit.

Pompeium jugulare P. Clodius non potuerat; eum tamen domi se continere, a tota republica abstinere coegerat. Nunc C. Cæsarem aggredietur ipsum, quo auctore ipse plebeius factus erat tribunusque plebis. Singulari illo spectaculo senatus fruitus est : nunc Clodius tribunus plebis, qui hactenus Cæsaris

1. Cic., *de domo*, 47, 124; Dio Cass., XXXVIII, 30.
2. Cic., *de domo*, 48, 125.
3. Cic., *pro Milone*, 7, 18; Ascon., *in Milonian.*, p. 47; Plut., *Pompeius*, 49, 2.
4. Ascon., *in Milonian.*, p. 47. Ab eodem P. Clodii apparitore vulneratus est L. Novius, tribunus plebis.

amicissimus visus erat, susceperat personam M. Bibuli consulis. Etenim, ultimis tribunatus sui mensibus, eversor iste legum Æliæ et Fufiæ patronus auspiciorum subito exstitit; M. Bibulum in contionem auguresque produxit, et omnia quæ C. Cæsar in senatu egisset per senatusconsultum rescindi oportere dixit, quod non salvis auspiciis acta essent [1]. Quid igitur fieret de tribunatu Clodii, si Cæsaris acta rescinderentur? Sed tunc hoc non curabat Clodius. Solummodo, quantum poterat, a senatoribus contendebat de legibus Juliis antiquandis. Eas refigeret senatus; statim P. Clodius umeris ipse suis Ciceronem in Urbem referret [2]. P. Clodio, cui toties ac tam rapide in tribunatu immutata erat voluntas, nondum acciderat ut se adeo mirabiliter invertisset. C. Cæsaris, patroni sui, acta rescindere vult. Quid plura? M. Ciceronem, in cujus ruinam exsiliumque totum tribunatum machinatus est, nunc revocabit! Multiplex hominis ingenium mutatuque facile senatus miratus est; sed nec Julias leges irritas fieri, nec turbatori reipublicæ gloriam reducendi Ciceronis relinqui voluit.

Exeunte mense octobri, lex ab octo tribunis promulgata est de Ciceronis reditu [3]. Quum Clodius tribuniciam potestatem exuit, nondum accepta erat; aliqua adhuc mora res egebat. Sed jam Clodium illud non fallebat virum ipsius inimicissimum brevi Romam tanquam in triumphali curru revocatum iri. Ei tamen gloriari licebat tribunatum suum non ad irritum redactum esse. Illo quotidiano legum, juris, senatus incendio, illis quotidianis cædibus latrociniisque, hoc P. Clodius Pulcher, tribunus plebis, consecutus erat ut omnibus pateret nihil posthac agi cum populo aut cum senatu salvis legibus et sine vi posse; hoc quoque consecutus erat ut rempublicam, perditis moribus corruptam ac procellis seditionum oppressam, in veterem dignitatem et libertatem vindicare nemini integrum foret.

1. Cic., *de domo*, 15, 40; *de harusp. resp.*, 23, 48; *de prov. consul.*, 18, 43.
2. Cic., *de domo*, 15, 40.
3. Cic., *ep. ad Att.*, III, 23, 1.

CAPUT IV.

P. CLODII ÆDILITAS PRÆTURÆQUE PETITIO.

§ I. Quid egerit P. Clodius anno qui tribunatum consecutus est.

Verum opinabatur M. Cicero, qui Quinto fratri de P. Clodio, adhuc tribuno plebis, scriberet eum etiam privatum eadem manu contiones concitaturum esse [1]. Quin etiam anno qui tribunatum consecutus est, sævior perturbatio civitatis ejusdem Clodii seditiosa opera exorta est. Ex duplici causa illud factum esse crediderim. Clodio, tribunicia potestate exuto, in conditionem privati civis redacto, nunc vis sola, id est decuriæ centuriæque suæ, supererat, si quæ tribunus plebis egerat servari, quæ adhuc moliebatur confici vellet; simulatione ipsa juris evanescente, effrenatior vis apparebat. Præterea, paulatim resurgebat natio optimatium, P. Cornelium Lentulum consulem nacta defensorem senatus, ultorem furorum Clodii quem jam in judicio de adulterio damnaverat [2], sed nacta præsertim T. Annium Milonem tribunum plebis, audacissimum nobilitatis propugnatorem: quæ incitamenta Clodio erant quo furiosius ad rempublicam violandam adniteretur. Itaque seditionibus seditiones contexit, et in toto hoc anno nihil inest nisi incredibilis rerum perturbatio.

1. Cic., *ep. ad Q. fratr.*, I, 4, 3.
2. Dio Cass., XXXIX, 6.

Ante omnia impedienda erat rogatio de reditu M. Ciceronis, a Q. Fabricio tribuno plebis Fabricia dicta. Concilio de exsule agendi dies præstituta erat, VIII kal. febr [1]. Tum Clodius, cognito multitudinem, cui quoque voluntas mutari cœperat, pro Cicerone fore, copias instruit tanquam eas in aciem producturus; quin etiam legionibus suis supplementum scribit, acceptis gladiatoribus quos frater Appius ad ludos funebres propinquo cuidam edendos paraverat [2]. Dixerat Ap. Claudius prætor se de cælo servaturum esse obnuntiaturumque Fabricio, oblitus, credo, fratrem Publium leges Æliam et Fufiam refixisse. At Clodius se ad vim descendere certius fore arbitratus, forum, comitium, curiam, multa de nocte, armatis servorum gladiatorumque agminibus occupaverat. Vix Q. Fabricius legem de Ciceronis reditu rogaverat volueratve rogare, quum clamoribus conviciisque toto in foro exortis, Clodiani gregales, tanquam signo dato, impetum faciunt in Fabricium, eum de templo deturbant, ei manus afferunt, legisque lationem impediunt. Venientem in forum M. Cispium tribunum plebis, Fabriciæ rogationis fautorem, summa vi incursant, depellunt, vulnerant. Quid plura? Crudelissima in foro cædes facta est. Huc illuc volitat Clodius; destrictis gladiis, Clodiani magna voce Quintum M. Ciceronis fratrem deposcunt. Quum maxime illum allatrarent, venit miser ut populum romanum pro exsule imploraret; subito pellitur e rostris, conculcatur, denique inter cadavera servorum libertorumque veluti mortuus relinquitur. Nunquam major in foro et in tota urbe vis versata erat. Corporibus civium Tiberim completum, cloacas refertas, e foro spongiis effictum sanguinem judicibus P. Sestii M. Tullius anno insequente commemorabat [3].

Hoc die, P. Sestius, tribunus plebis, domi se continuerat, quem præ aliis oderat Clodius, quod tribunus designatus iter ad C. Cæsarem pro Ciceronis salute susceperat [4]. Quum altero die in templum Castoris Sestius venisset obnuntiavissetque Metello consuli, qui nondum privata odia in Ciceronem deposuerat, subito suos in temerarie obnuntiantem Clodius immittit; « inermem

1. Cic., *pro Sestio.*, 35, 75.
2. Dio Cass., XXXIX, 7.
3. Cic., *pro Sestio*, 35, 75-77; *pro Milone*, 14, 38; Plut., *Cicero*, 33, 2.
4. Cic., *pro Sestio*, 33, 71.

tribunum alii gladiis adoriuntur, alii fragmentis sæptorum et fustibus, » ita ut Sestius, gravissime et pæne letaliter a Lentidio, a Titio Sabinio aliisque Clodianis decurionibus vulneratus, vix subsidio L. Calpurnii Bestiæ servatus fuerit [1]. Clodius autem, quasi mentes hominum a vero avertere voluisset, invidiamque cruentæ diei ad optimates referre, Q. Numerium Rufum tribunum plebis, Ciceronis adversarium, occidere cogitaverat, qui præmonitus ictus effugit [2]. Usque eo amentiæ jam Clodius processerat ut non dubitaret vel unum e suis exanimare, dum cædes seditioque in Urbe augescerent.

Tandem furorum Clodii multos pertæsum est. Quamobrem optimates qui Ciceroni revocando favebant non vim vi repellerent? non servos servis, gladiatores gladiatoribus, gregales gregalibus opponerent? Factiones igitur conscribendas, Clodii exemplo, excogitavere P. Sestius, T. Annius Milo, tribuni plebis; hic armatorum manum gladiatoriam adhibuit, quæ Clodianis ipsis metuenda mox visa est. Hinc jam inter duces audacia pares, inter Hectorem optimatium Achillemque popularium [3] bellum inexpiabile exarsit. Primum P. Clodium Milo quasi oblique petit, gladiatoribus ex Ap. Claudii comitatu deprehensis qui in partem forensis cædis, mense januario, venerant, in senatum introductis, confessis, in vincula conjectis; sed eosdem Sex. Attilius Serranus collega, qui pro Clodio stabat, emittit [4]. Dein ausus est Milo Clodium de vi reum facere [5]; sed impunitatem Clodius est assecutus, quum consul Metellus, prætor Claudius, tribunus Attilius edicta proposuissent ne reus adesset, ne citaretur [6]. Tum Milo gladiatores emit, quibus P. Clodii conatus comprimeret. Certamina cædesque in urbe fiebant; sed Miloniana factio superior evasit. Quum mense sextili ineunte, Cornelia lex de Cicerone reducendo comiciis centuriatis lata erat, quamquam Clodius acriter reclamabat, accepta tamen est; Clodio enim Milo cum suis ita sese opposuerat ut vim facere nullam hic potuerit [7].

1. Cic., *pro Sestio*, 37, 79-80; *ep. ad Q. fr.*, II, 3, 6; *Schol. bob.*, p. 292.
2. Cic., *pro Sestio*, 38, 82.
3. Mommsen, *Hist. romaine* (vers. gall.), VII, p. 168.
4. Cic., *pro Sestio*, 39, 85.
5. Plut., *Cicero*, 33, 2.
6. Cic., *pro Sestio*, 41, 89; *ep. ad famil.*, I, 9, 15.
7. Dio Cass., XXXIX, 8.

Jam aliam offensionem Clodius acceperat. Mense junio, quum in templo Virtutis Honorisque Ciceronem senatus provincialibus commendavisset, se ludis commiserat P. Clodius a P. Lentulo consule editis: sed conviciis, maledictis, palmarum intentu exceptus est; et quum ageretur togata, *Simulans*, versus qui in Clodii scelera cadere videbantur tota caterva ingenti plausu salutavit [1].

Neque hac populari alienatione neque magnifico triumphantis Ciceronis reditu audax Clodii animus imminutus est. Nihil infractus, etiam adversante Milone, porro ire decrevit. Nondum ei deerant artes ad civitatem seditionibus exagitandam: tumultum ob annonæ egestatem concitare, Ciceronem propter domum consecratam impugnare, ædilitatem in annum sequentem petere, hæc satis erunt ut animos plebis sibi reconciliet, ut adversariis timorem injiciat, ut turbas tribunatus sui redintegret.

Annonæ caritate civitas laborabat. Jam, L. Cæcilio Rufo prætore ludos Apollinares faciente, id est mense quintili, Clodius ob annonam infimam multitudinem coegerat, eamque in hanc persuasionem cito perduxerat senatum, cujus res resurgeret, famem plebi illaturum esse legemque Clodiam de frumento publico eversurum. Tota igitur plebecula tumultuata impetum fecerat in cives qui ludos spectandi causa in theatro consederant, eosque vi expulerat; haud scio an tum eadem de causa domus prætoris ipsius a Clodianis oppugnata sit [2].

Vix Cicero, ineunte mense septembri, Romam redierat, quum ingens Urbem fames afflixit. Tum impulsu Clodii, quem facile dixerim Sex. Clodio suo usum esse ut compressum frumentum aliquantisper in invidiam Ciceronis reducis teneretur, plebs universa primo in theatrum, deinde in Capitolium ad senatum concurrit, opera Ciceronis frumenti inopiam esse clamat, præsentem senatoribus necem vel se eos cum ipsis templis combusturam minatur [3]. Super hæc puerorum concursatio nocturna a Clodio instituta probris omnibus maledictisque Ciceronem vexabat, quod summam difficultatem rei frumentariæ attulisset; L. Sergius et M. Lollius, a Clodio immissi, Q. Metellum consulem, qui cum Cicerone redierat in gratiam, lapidibus appe-

1. Cic., *pro Sestio*, 55, 117-118.
2. Cic., *pro Milone*, 14, 38; Ascon., p. 48 sq.
3. Cic., *ep. ad Att.*, IV, 1, 6; Dio Cass., XXXIX, 9.

tebant et fasces ejus frangebant [1]. Sed omnem illum tumultum optimatium concordia abstersit : Cicero senatui persuaserat ut Pompeio annonæ procuratio cum imperio proconsulari infinito ad quinquiennium mandaretur. Solvendarum legum suarum id principium esse haud immerito Clodius ducebat, quum rogatione Cornelia Cæcilia de Pompeio annonæ præficiendo antiquaretur lex altera frumentaria Clodia, ex qua potestas rei frumentariæ Sex. Clodio data erat. Negabat igitur Clodius in senatu oportere quidquam uni extra ordinem decerni ; sed quanquam acerrime adversabatur, quanquam annonæ penuriam invectam esse ut potentia Pompeii novo imperio reviviscerет causabatur [2], lex accepta est.

Inimico acceptam plagam senatus hac lege reddiderat; aliam Cicero recuperata domo reddidit. Clodius tribunus plebis in area domus Ciceronis ædem Libertatis ædificaverat, quam Libertatem imagine cujusdam meretricis Tanagrææ repræsentante [3]. Itaque Ciceroni reduci religionem objiciebat, ne aream ædium suarum recuperaret. Pridie kalendas octobres Cicero dixit apud pontifices (nam res ad jus pontificium tota spectabat) de domo sua. Sciverunt pontifices « videri posse sine religione eam partem areæ Ciceroni restitui. » Domus igitur domino erat adjudicata, cum subito P. Clodius, qua erat impudentia vel amentia, in contionem ascendit quam ei frater Appius dederat; omnibus, partim admirantibus, partim irridentibus, nuntiat pontifices secundum ipsum decrevisse, audientesque hortatur ut suam Libertatem defendant. Postero die, kal. octobr., res ad senatum delata est. Clodius, cum ad eum ventum est, horas tres fere in Ciceronem dixit ut diem consumeret, ad extremum odio et strepitu senatus peroravit. Attamen, postridie, nam hoc die Attilius Serranus senatusconsulto intercesserat, senatusconsultum est factum, quo Ciceroni domus urbanæ area villæque restituerentur et damni infecti causa pecunia decerneretur [4].

Negotium consulibus datum erat a senatu ut curarent ut sine vi ædificare Ciceroni liceret [5] ; nam neminem fugiebat Clodium

1. Cic., *de domo*, 5, 12-13 ; 6, 14; *cum senatui gratias egit*, 3, 7.
2. Cic., *de domo*, 8, 18 ; Plut., *Pompeius*, 49, 5.
3. Cic., *de domo*, 43, 111-112.
4. Cic., *ep. ad Att.*, IV, 2, 3-5 ; Dio Cass., XXXIX, 11.
5. Cic., *de harusp. resp.*, 8, 15.

ad omnia paratum ut senatusconsultum illud irritum fieret. Etenim ante diem tertium non. novembr. ab armatis hominibus, duce Clodio, expulsi sunt fabri de area Tullianæ domus; deinde furorem in Q. Ciceronis domum vertunt; eam conjectu lapidum petunt, jussuque Clodii inflammant [1]. Quid plura? Quum ante diem tertium idus novembr. M. Cicero Sacra via descenderet, eum cum suis Clodius improviso secutus conviciis, lapidibus, fustibus, gladiis aggressus est; parum abfuit quin Cicero occisus fuerit; vix in vestibulum quoddam discessit. Illic operæ Clodianæ aditu prohibitæ sunt [2].

Plane dissimilis Ciceroni quem chirurgiæ tædebat et qui diæta curari incipiebat [3], Clodius ruinas, rapinas in civitatem infundere non desistebat. Quis eum eodem tempore ædilitatem petere dixisset? Sed quum jam non haberet C. Cæsarem, Cn. Pompeium, aliosve amplos viros, sui studiosos, quorum ope ædilis crearetur, ei spes omnis pendebat ex gregalium furore, ex inimicorum ruina. Vicatim igitur decurias centuriasque suas ambibat, servis aperte spem libertatis ostentando [4].

Petierat ædilitatem in annum sequentem P. Clodius jam a mense quintili [5], quia eam adeptus, judicium de vi lege Plotia quod iterum T. Milo intulerat se subterfugiturum cogitaret [6]. Q. Nepos consul qui tum Clodio favebat (nam pluries ei voluntas immutata est) prætori indixerat ne quod judicium admitteret antequam judices sorte lecti fuerint. Quorum autem legendorum causa necesse erat ut quæstores prætori urbano adessent, et ædiles prius quam quæstores constitui mos erat [7]. Quæ quum ita essent, Milo tamen omni mora ædilicia comitia impediverat, et ipso mense novembri nondum habita erant. Itaque per vim ædilis creabitur P. Clodius, Milone etiam, si res poscet, interficiendo. Pridie idus novembr. Milonis domum, eam quæ in Germalo erat, omni ope expugnare et incendere conatus est. Justa obsidio facta est; aderat totus exercitus Clodianus, alii cum gladiis eductis, alii cum accensis facibus. Ipse Clodius,

1. Cic., *ep. ad Att.*, IV, 3, 2.
2. Cic., *ep. ad Att.*, IV, 3, 3.
3. Cic., *ep. ad Att.*, IV, 3, 3.
4. Cic., *ep. ad Att.*, IV, 3, 2.
5. Cic., *pro Sestio*, 55, 118.
6. Cic., *pro Milone*, 13, 35; 15, 39; Dio Cass., XXXIX, 7.
7. Dio Cass., XXXIX, 7.

tanquam imperator hostem e castris speculans, domum P. Cornelii Sullæ occupaverat. Sed frustra hæc oppugnatio Clodianis fuit. Q. Flaccus, Milonianorum dux, improvisus ex Milonis domo suos educit, in oppugnantes impetum facit, notissimos Clodii centuriones occidit, Clodium ipsum cupit, sed ille in interioribus ædium Sullæ latitat [1]. Ab uno hoc exemplo discimus quanta in turba quantaque in confusione omnium rerum respublica versaretur.

Postridie idus tumultuarie senatus habitus est, quum Appius frater, Metellus consul, aliique, si comitia non fierent, Urbi minarentur. Milo tamen, ter mense novembri, quominus comitia haberentur impedivit; nam media nocte veniebat in campum cum magna manu armatorum et prima luce se de cælo servare dicebat. Miranda virtus in illo heroe erat, ut scribit Attico M. Tullius : « occisum iri (Clodium) ab ipso Milone video. Non dubitat facere ; præ se fert [2]. »

Mense quoque insequenti, omnia turbulente gesta sunt. Nam quum in senatu Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus, idem qui L. Lentulo in accusando P. Clodio subscripserat et qui Ciceronis cupidissimus videbatur, graviter questus esset de trucidationibus et lapidationibus Clodianis, censuissetque ut prætor urbanus ipse, non adhibitis quæstoribus, judices sorte legeret et comitia deinde haberentur; quum L. Racilius, tribunus plebis designatus, contumaciter urbaneque P. Clodium aggressus esset; quum P. Clodius more suo diem dicendo eximere cœpisset : repente a Græcostasi et gradibus curiæ clamores sustulerunt operæ Clodianæ, in Milonem incitatæ; quo metu injecto, non jam itum est in sententiam senatusque repente discessit [3].

Non deerant tamen in senatu homines, ii scilicet « qui M. Tullio pinnas inciderant et nolebant easdem renasci [4], » quorum referebat Clodium privatum non esse [5] ; præcipue M. Licinius Crassus, si patrocinium futuri ædilis suscepisset, se eo usurum esse arbitrabatur in rebus Alexandrinis. Coitio igitur quorumdam amplorum virorum facta est ut comitia sine mora habe-

1. Cic., *ep. ad Att.*, IV, 3, 3 ; *pro Sestio*, 39, 85 ; *pro Milone*, 14, 38.
2. Cic., *ep. ad Att.*, IV, 4, 3-5.
3. Cic., *ep. ad Q. fr.*, II, 1, 1-3.
4. Cic., *ep. ad Att.*, IV, 2, 5.
5. Cic., *de harusp. resp.*, 24, 50.

rentur. Tandem edicta sunt a. d. XI kal. febr. Omnia tum Romæ tardiora erant « propter furiosæ ædilitatis exspectationem, » ita ut Cyrus architectus ædificationem domus Q Ciceronis procrastinaret[1]. Die dicta, id est vigesima secunda die januaria, a. U. c. 698 (a. C. 56), comitia habita sunt, et P. Clodius collatam per conspirationem ædilitatem adeptus est[2].

§ II. P. Clodius ædilis curulis.

Quod P. Clodii ædilitas curulis non tam magno momento fuerit quam tribunatus plebis, nihil mirandum est, quum sacrosancta potestate tribunicia et jure auxilii et jure cum plebe agendi nunc careret. Mirandum potius quod in tantum extulerit magistratum ædilicium suum, quum ædilitas intra curam annonæ, curam Urbis, curam ludorum quasi tota contineretur; accedit huc quod hoc anno solus, ut ita dicam, neque ex pactione conflata, magistrum capessiverat.

Ut primum P. Clodius ædilis creatus est, diem dixit Miloni et eum de vi accusavit, quod gladiatorum manum coegerat, ut rogatio de M. Cicerone reducendo perferretur[3]. Rem intermissam per multos annos repetiverat Clodius, quum ædilis Milonem reum ad populum pertraxisset; sed vim ædilitatis a se gerendæ firmare ex hoc ipso voluerat. Non credebat se Milonem vincere posse; hic enim acerrimos inter optimates patronos nactus est, præcipue Ciceronem et Pompeium, qui gratiam reo retulerunt propter ea quæ tribunus plebis in Clodium egerat. Sed causa erat ab eo optime excogitata ut Miloni illi qui eum toties anno superiore exagitaverat, nunc inermi et impari, negotium exhiberet, præterea ut aliquid turbamenti, Miloniani judicii obtentu, in civitate conflaret adversariosque contumeliis afficeret[4]. Etenim provocatio ad populum consiliis P. Clodii maxime opportuna erat, quum causa in tribus contionibus inter accusatorem

1. Cic., *ep. ad Q. fr.*, II, 2, 2.
2. Dio Cass., XXXIX, 18.
3. Cic., *pro Sestio*, 44, 95; Dio Cass., XXXIX, 18; *Schol. bob.*, p. 288.
4. Dio Cass., XXXIX, 18.

et reum anquireretur ; suam partem rei Clodianæ centuriæ sustinerent.

Prima accusatio a. d. quartum non. febr. facta est, hæc honeste. Miloni Pompeius advocatus venerat. Secunda a. d. octavum id. febr. Clodius interea artibus suis effecerat ut nihil in senatu transigi potuerit, quum relatum erat de provinciis quæstorum et de ornandis prætoribus [1]; imo per tribuni cujusdam conscii intercessionem, rogationem legis curiatæ fieri non erat passus, qua lege non promulgata de causa nulla cognosci a prætore fas erat[2]. Secundam accusationem vividissimis verbis ante oculos Quinti fratris posuerat Cicero, quæ hic nos repetemus; nam ut concipiantur animo status civitatis et P. Clodii impudentia, nihil acrius dici potest.

« A. d. VIII id. febr. Milo affuit. Dixit Pompeius, sive voluit. Nam, ut surrexit, operæ Clodianæ clamorem sustulerunt idque ei perpetua oratione contigit, non modo ut acclamatione, sed ut convicio et maledictis impediretur. Qui ut peroravit, — nam in eo sane fortis fuit, non est deterritus; dixit omnia, atque interdum etiam silentio, cum auctoritate peregerat — : sed ut peroravit, surrexit Clodius. Ei tantus clamor a nostris — placuerat enim referre gratiam —, ut neque mente nec lingua neque ore consisteret. Ea res acta est, quum h. VI vix Pompeius perorasset, usque ad h. VIII, quum omnia maledicta, versus denique obscœnissimi in Clodium et Clodiam dicerentur. Ille furens et exsanguis interrogabat suos in clamore ipso, « Quis esset, qui plebem fame necaret? » Respondebant operæ : « Pompeius. » « Quis Alexandream ire cuperet? » Respondebant : « Pompeius. » « Quem ire vellent ? » Respondebant : « Crassum. » Is aderat tum, Miloni animo non amico. H. fere IX, quasi signo dato, Clodiani nostros consputare cœperunt. Exarsit dolor. Urgere illi, ut loco nos moverent. Factus est a nostris impetus; fuga operarum. Ejectus de Rostris Clodius ; ac nos quoque tum fugimus, ne quid in turba[3]. »

Supra modum P. Clodii audacia creverat. At Pompeius, cui Clodius Tigrane emisso, sica intentata, domo oppugnata, pro-

1. Cic., *ep. ad Q. fr.*, II, 3, 1.
2. Dio Cass., XXXIX, 19.
3. Cic., *ep. ad Q. fr.*, II, 3, 2; cf. *ep. ad famil.*, I, 5 b,1. Plutarchus (*Pompeius*, 48) quasi eadem narrat, sed errore ad tribunatum P. Clodii relata.

bris ingestis, tantam contumeliam imposuerat, adversarium coram impugnare cœpit. Rem ex composito agere Clodium, Crassum aliosque dixit; se munitiorem ad vitam suam fore quam Africanus; Clodio pecuniam suppeditari [1]. Tandem in senatu superior visus est, verbo saltem, quum Clodius decreto parere minime soleret : a. d. IIII id. febr. senatusconsultum factum erat « ut sodalitates decuriatique discederent, lexque de iis ferretur, ut, qui non discessissent, ea pœna, quæ est de vi, tenerentur [2]. » Num hæ minæ pudorem aliquem P. Clodio imposuissent ? Quidquid id est, neque Clodiani neque Pompeiani videntur usi esse operis quas ad Quirinalia paraverant; nam ad Quirinalia Clodius prodixerat diem [3]. Dein in nonas maias Miloni dies prodicta est [4], ut ea die de reo comitia tributa suffragium ferrent. Comitia autem illa habita esse nusquam dictum est. Verisimiliter causam Milonis oblitterari Clodius sivit; noluit in dubiam damnationis absolutionisve aleam ire; ei satis erat tumultum civitati injecisse.

Mediis diebus consilio cuidam Clodii injecta erat plaga maxima. A. d. IIII id. febr. P. Sestius de ambitu et de vi postulatus erat [5]. Agebatur de hoc P. Sestio, quem anno superiore tribunum plebis Clodiani in templo Castoris quasi plagis peremerant. Velut principes delationis immissi erant Cn. Nerius et quidam M. Tullius Albinovanus; testimonium dixit Vatinius; re autem ipsa, accusaverat Clodius [6], causa Miloniana Pompeium, Sestiana M. Ciceronem petiturus. Sed hæc destinata exitus discussit. Nam, quum, causa antea a plurimis defensa in quibus fuerunt Q. Hortensius, M. Licinius Crassus, hic jamjam a P. Clodio abalienatus, C. Licinius Calvus [7], magnificam suam pro P. Sestio orationem habuisset Cicero, reus absolutus est a. d. V id. mart., insuper, quod vehementer optimatium intererat et quod P. Clodio maxime contumeliosum videbatur, omnibus judicum sententiis [8].

1. Cic., *ep. ad Q. fr.*, II, 3, 3-4.
2. Cic., *ep. ad Q. fr.*, II, 3, 5.
3. Cic., *ep. ad Q. fr.*, II, 3, 2, 4.
4. Cic., *ep. ad Q. fr.*, II, 7.
5. Cic., *ep. ad Q. fr.*, II, 3, 5.
6. Cic., *ep. ad Q. fr.*, II, 3, 5; *in P. Vatinium*, 1, 3; *Schol. bob.*, p. 292.
7. *Schol. bob.*, p. 292.
8. Cic., *ep. ad Q. fr.*, II, 4, 1.

Duæ aliæ res quæ ad Clodium adversariosque pertinebant in judicium adductæ sunt mense aprili, quasi eodem tempore quo triumviri, exploratum habentes se mutua ope sua carere non adhuc posse, Lucam conveniebant ut societatem arctius adstringerent.

Instigante T. Milone, quidam reum fecerant Sex. Clodium, qui per biennium Clodianorum furorum aut minister aut dux exstiterat et cujus causa manifestissimis rebus tenebatur. Ei tamen ad damnationem tres sententiæ defuerunt. Muliebri gratia reum absolutum esse M. Tullius dicit, quod eo Clodia major, omnium amica illa, familiarissime utebatur; sed ipsa in re Pompeii offensio accusatoribus, cæterum imbecillis, obstitit; nam senatorum urna, quum tunc senatus a Pompeio prope alienatus esset, copiose absolverat [1].

Alteri causæ implicatior erat P. Clodius. Accusabatur enim de vi M. Cælius Rufus, necnon de auro quod a Clodia sumpsisse et de veneno quod ei paravisse dicebatur. M. Tullius, qui pro Rufo causam oravit, non pepercit gravissimis contumeliis in Clodiam majorem et istius mulieris virum, fratrem volebat dicere : semper hic errabat [2]. Cælius liberatus discessit.

Tanta sub mole opprobriorum, certamen cum M. Cicerone jam abhinc aliquot mensibus fere intermissum redintegrare P. Clodius statuit. Gregales suos ipsi non defuturos sciebat, quibus plane insolitum honorem tribuerat. Ludis Megalensibus quos ut ædilis curulis mense aprili curaverat P. Clodius, vis innumerabilis servorum in scenam, signo dato, ab ædili ipso immissa, irruperat, senatores, equites, omnes bonos deturbando; ita ut ludos Matris Magnæ maxime sollemnes, maxime religiosos, servi fecerint, servi spectaverint, toti denique servorum fuerint [3].

Prodigiorum quorumdam occasione usus est Clodius ut Ciceronem impugnaret. In agro Latiniensi auditus erat strepitus cum fremitu et plura alia prodigialiter acciderant [4]. Quibus de rebus responsum haruspices recitaverant, « loca sacra et religiosa profana haberi. » Quum sacrarum ædium procuratio ædilibus

1. Cic., *pro Cælio*, 32, 78; *ep. ad Q. fr.*, II, 6, 6.
2. Cic., *pro Cælio*, 13, 32.
3. Cic., *de harusp. resp.*, 11, 22; 12, 24.
4. Cic., *de harusp. resp.*, passim; Dio Cass., XXXIX, 20.

committeretur et ex ea ædilitas præcipue constaret, Clodius de haruspicum responsis contionatus erat et in ea causa esse dixerat M. Ciceronis domum, olim Libertati consecratam et a Cicerone contra fas recuperatam [1]. Tum Cicero sua vice orationem habuit *de haruspicum responsis,* qua conatus est manifestum facere omnibus nullam domum in tota urbe magis quam suam a suspicione religionis vacuam esse atque puram ; quæ responderant haruspices, hæc tota ad Clodianas religiones, justo supplicio expiandas, spectare. Non hujus animi erat Clodius qui oratione vel eloquentissima moveretur ; domum igitur Ciceronis a fundamentis iterum diruere decrevit : munus erat ædilicium. Oblitus erat, credo, senatum anno superiore, expulsis a Clodiana factione de area domus Ciceronis fabris, decrevisse eos qui id fecissent lege de vi teneri [2]. Sed Ciceroni contigit ut quod a senatusconsulto petere non poterat, id auxilium ei Miloniani præstiterint. Qua die enim Clodius cum suis ante domum Ciceronis venit, rem facere a Milone prohibitus est [3].

Ut par pari referret, M. Cicero, Milone tribunisque plebis aliquot secum assumptis, in Capitolium ascendit, et tabulas quibus res a Clodio in tribunatu plebis gestæ inscriptæ erant detraxit. Sed Clodius cum Caio fratre, qui hoc anno præturam gerebat, superveniens, easdem Ciceroni ademptas in vestibulo domus suæ fixit. Posthæc autem, quum Cicero Clodium peregre abiisse deprehendisset, rursus multis comitantibus ad Clodianas ædes se contulit et tabulas avulsas domum suam secum deportavit [4]. Has nugas et ineptias videri alicui contendenti libenter assenserim. Quid referebat reipublicæ utrum tabulas tribunicias Clodius figeret, an Cicero avelleret ? Levis scilicet utraque persona, quæ paucis diebus post Lucensem conventum nihil sibi in republica agendum censuerit, nisi de tabulis æneis altercaretur. Insuper, ejus rei causa congregatus est senatus, ibique Clodius et Cicero se invicem opprobriis prosciderunt. Clodio Cicero objiciebat tribunatum plebis, quasi contra leges a patriciis ad plebeios transivisset, ideoque acta ejus non rata esse ; Ciceroni Clodius, eum jure pulsum esse, Urbem vero præter fas

1. Cic., *de hàrusp. resp.*, 5, 8-9.
2. Cic., *de harusp. resp.*, 8, 15.
3. Dio Cass., XXXIX, 20.
4. Plut., *Cicero,* 34 ; Dio Cass., XXXIX, 21 ; *Schol. bob.*, p. 345.

repetivisse [1]. Hoc certamen illis inciderat, quum interventu M. Catonis, dein Cn. Pompeii, res aucta est.

M. Porcium Catonem illaqueatum irretitumque proficiscentem Cyprum jam vidimus. Legatione autem optime perfunctus, Romam nunc redierat, quum maxime fervebat Clodii Ciceronisque certamen. Utri accederet, auctoritatem nominis sui allaturus, nemini in incerto videbatur. P. Clodio tamen accessit, non quod Clodii capessendæ reipublicæ institutum probaret, sed quod violentum et iniquum fore sibi videri diceret, si a senatu rescindi oporteret ea quæ in tribunatu acta decretave essent. Inter quæ erant res a M. Catone Cypri et Byzantii gestæ; nam ex lege Clodia tribunicia Cyprum et Byzantium navigaverat. Iis vero gestis superbiebat et nihil antiquius habebat quam ut ea rata haberentur. Clodio igitur adversus Ciceronem auxilio fuit [2].

Nihil autem inter se et hunc virum, fortissimum, constantem, propositi tenacem, qui reipublicæ et optimatium tanquam arx ipsa esse haud immerito videbatur, nihil unquam commune fore Clodius statim intellexerat. Itaque auxilium sibi minime profuturum repudiavit. Accedebat huc quod societas nova inter Clodium et triumviros paulatim instituta erat. Clodium C. Cæsar Lucam non arcessiverat, ubi tamen Appium fratrem reperimus; sed eum majore apud plebem auctoritate esse quam ut facile ejus ope carere posset, senserat, tot tantaque in rempublicam molitus. Neque ægre in pristinam concordiam cum triumviris reduceretur P. Clodius, quum expertus esset se quasi nihil in republica profecisse ex quo a Pompeio et Cæsare dissederat. Clodius igitur paratus erat auxilium Catonis societati triumvirorum remittere, si illi voluntatem suam notam facerent. Adjuvit autem Cæsar Clodium in negotio Catoniano; imo ei per litteras accusationes misisset [3].

Quæstio erat quo nomine dicerentur servi a Catone ex Cypro Romam advecti; eos Porcios appellari Cato noluerat, sed tantummodo Cyprios. At Clodius, qui legem de rebus Cypricis tulerat, eos nominari Clodios intendit. Catone vero obstante, iis Cypriorum cognomen datum. Tum Clodius, Catoni succensens,

1. Plut., *Cicero*, 34; Dio Cass., XXXIX, 21.
2. Plut., *Cicero*, 34; *Cato minor*, 40; Dio Cass., XXXIX, 22.
3. Ὥσγε φασί τινες. Dio Cass., XXXIX, 23.

eum multa de pecunia Cypria intervertisse vociferatus est rationesque divitiarum Ptolemæi publicatarum postulavit. Quomodo M. Cato rationes reddidisset, omnibus fere rerum gestarum commentariis naufragio interceptis ? Quæ Clodium minime fugiebant ; sed quum adversario deesset crimen propulsandi facultas, id pro se et pro triumviris nonnihil facturum arbitrabatur [1].

Eodem tempore Clodius in causam Pompeii palam aperteque descenderat. Jam, antequam de haruspicum responsis ageretur, contionem habuerat, in qua Pompeium laudibus ornaverat, et se illi esse amicissimum et illum unum in civitate imperii romani gloria dignum dixerat [2]. Idem tamen erat ille Pompeius quem, paulo supra hanc reconciliationem gratiæ factam, omnium irrisione ludi voluerat Clodius, quum amicos suos instruxisset ut quoties ipse in contionibus interrogaret quisnam quid seu faceret, seu diceret, hi tanquam signo dato Pompeium omnes exclamarent [3]. Jam mirificæ hujusmodi rei mense februario interfuimus. Sed nunc Clodius ad Pompeium sese iterum applicuerat. Rumor incesserat Cn. Pompeium cui ex iracundia nihil supererat P. Clodium sibi adjunxisse, quo facilius ipse et Crassus, ut pacta res erat Lucæ, consulatu in annum sequentem (U. c. 699, a. C. 55) potirentur. Satis constabat Pompeio multos in senatu, imprimis Cn. Cornelium Lentulum Marcellinum consulem, obstaturos ne duo triumviri consules designarentur. Necesse erat igitur comitia in dies procrastinari, eo anno non haberi ; interrex proderetur, et ipsi consulatum caperent. Negotium Pompeio et Crasso gesserunt C. Porcius Cato tribunus plebis necnon P. Clodius ædilis, quo nemo in animis sollicitandis scientius versatus erat [4].

Itaque Clodius ad plebem progressus orationem adversus Marcellinum aliosque habuit. Sed magna senatus indignatio coorta est, quod Clodius vestem non mutaverat, quanquam senatus decreverat ut vestes tanquam in calamitatibus mutarentur. Tum Clodius sermone abrupto plebem reliquit, impetum in curiam cum suis facturus. Sed in eo fuit ut periret. Senatores enim

1. Plut., *Cato minor*, 45, 1 ; Dio Cass., XXXIX, 23.
2. Cic., *de harusp. resp.*, 24, 51.
3. Dio Cass., XXXIX, 19.
4. Dio Cass., XXXIX, 27.

obvii facti eum arcent ingressu ; accurrere equites, Clodium circumdare, qui discerptus fuisset nisi exclamasset auxilium expetens. Clodiani cum solito gladiorum, fustium apparatu advolant ; quidam etiam fasces accensas vibrant, quasi equites senatoresque, si qua vis Clodio illata esset, cum curia combusturi. Eo modo Clodius servatus est, quum propius nihil factum fuerit quam ut occideretur [1].

Nihil ultra rei Romæ a P. Clodio ædili factum esse traditum est. Sed, quum Marcellinus consul et qui eum sequebantur in posterum curia abstinere debuerint, quum Pompeius et Crassus ex interregno consules creati fuerint, L. Domitio Ahenobarbo competitore per vim remoto [2], suspicari quidem licet Clodium Clodianosque ab illis civilibus controversiis minime abfuisse.

§ III. P. Clodius præturam petit.

Duos annos intercedere oportebat antequam annum ætatis suæ quadragesimum P. Clodius adipisceretur, lege Villia præturæ gerendæ constitutum. Hoc biennio non primas tulisse videtur. Aliquantulum, saltem a Clodio et Clodiana factione, requievit civitas.

Cn. Pompeio Magno II, M. Licinio Crasso II coss., Clodius, ut triumviri meritum merito pensarent, per Crassum et Pompeium legationem aliquam consequi cupiebat. Agebatur de libera legatione aut Byzantium, aut ad Brogitarum aut utrumque. Si Ciceroni fides, erat res plena nummorum [3]. Num conjungeretur cum alia re valde obscura ad insulam Chium spectante, sed quæ videtur quæstuosissima quoque P. Clodio fuisse [4], incertum. Propius est fidem Clodium legatione Byzantium aut ad Brogitarum fungi voluisse, ut pecuniam cogeret ex Brogitaro cui jam vendiderat Pessinuntium Magnæ Matris sacerdotium, vel ex exsulibus Byzantinis quos per Catonem in patriam re-

1. Dio Cass., XXXIX, 28-29.
2. Dio Cass., XXXIX, 30-31.
3. Cic., *ep. ad Q. fr.* II, 9, 2.
4. Cic., *de harusp. resp.*, 16, 34.

vocaverat. Si minus per senatum, per populum legationem cupiebat [1]. Senatus tamen erat, nec populi, munera hujusmodi decernere ; sed senatum elinguem adhuc reddere quanti laboris P. Clodio esset ? Num res cecidisset ut voluerat « illa populi Appuleia » ex Attico per litteras M. Cicero quærebat [2] ; nec quid ille rescripserit novimus. Attamen, quum de præsentia Romæ P. Clodii per plures menses nihil sit scriptum, si aliquis eum hoc tempus Byzantii transmisisse vel in Asia, ubi tum Caius frater magistratum gerebat [3], opinatus erit, ego non repugnabo.

Anno insequente (U. c. 700, a. C. 54), quo frater Appius consulare munus cum L. Domitio Ahenobarbo obibat, P. Clodius tribus causis Romæ sese immiscuit. Mense februario, quidam Ser. Pola, homo teter et ferus, litem novam M. Cælio Rufo intenderat ; unus erat e gente Clodia, ut per ludibrium Clodii gregales M. Cicero dicit. Polæ Clodius mandaverat ultionem sui, quum non æquo animo tulisset convitia quibus eum Cicero in Cæliana oratione erat consectatus. Sed tunc hæc causa non recepta fuisse videtur [4].

A. d. III non. quinct. M. Nonius Sufenas et C. Porcius Cato, duobus annis ante tribuni plebis, absoluti sunt ; Procilius, eorum in tribunatu collega, condemnatus ; omnes de ambitu, ut videtur, postulati, hic insuper de vi reus. Accusaverat P. Clodius [5]. Clodium tribunos plebis qui cum eo fecerant, nam et C. Cato Pompeio et Crasso consulatum petentibus faverat, criminatum esse admirari satis aliquis non posset, nisi hominis volubilitas esset nota. Immutata iterum voluntate ex amicis inimicos, ex inimicis amicos fecerat. Id judicium erat, secundum Ciceronem, flagitii plenum et dedecoris. C. Cato absolutus erat, non tam patronis suis libentibus quam accusatoribus [6]. Saltem ex Procilio damnato apparebat « nos debere patremfamilias domi suæ occidere nolle, neque tamen id ipsum abunde ; nam absolverunt XXII, condemnarunt XXIIX. Publius sane diserto epilogo criminans mentes judicum moverat [7]. »

1. Cic , *ep. ad Q. fr.*, II, 9, 2.
2. Cic., *ep. ad Att.*, IV, 11, 2.
3. Cic., *pro Scauro*, 2, 35.
4. Cic., *ep. ad Q. fr.*, II, 13, 2.
5. Cic., *ep. ad Att.*, IV, 15, 4.
6. Cic., *ep. ad Att.*, IV, 16, 5.
7. Cic., *ep. ad Att.*, IV, 15, 4.

In causa Procilii Cicero verbum nullum. Verita erat enim pusilla, quæ tunc laborabat, ne Clodium pater iterum offenderet, quem præturam petiturum esse constabat, si pro Procilio adversus eum dixisset [1]. Quasi eodem tempore, ambo eamdem causam oraverunt; nam M. Æmilium Scaurum repetundarum a Sardis postulatum sex patroni defenderunt, inter quos fuere P. Clodius Pulcher, M. Cicero [2]. Vicit causa Scauri; sed num Clodii oratio ad reum absolvendum valuerit, nos latet.

Quod ad Clodium pertinet, levioris momenti illæ res erant. Eis interesse voluerat ea mente ne populus romanus memoriam ipsius amitteret. Pluris Clodii referebat se in annum sequentem prætorem creari. In factione sua spem habere poterat, necnon in voluntatibus quorumdam senatorum. Tunc enim queritur Cicero quosdam nobiles homines in senatu nimis amare inimicum, Publium scilicet, eumque familiariter atque hilare amplexari solere [3]. E quibus non erat Pompeius; iterum simultates susceperant [4]. Sed id Clodius flocci non faciebat, et ad Cæsarem litteras miserat, sane ideo ut ab eo in præturæ petitione sublevaretur. Noluerat tamen Cæsar ullum verbum ad Clodium rescriptum esse [5].

Anno U. c. 701 (a. C. 53), mense quintili tantummodo, consules creati sunt Cn. Domitius Calvinus, M. Valerius Messala. Cum vidisset P. Clodius ita tracta esse comitia ut sex menses nec diutius præturam gerere potuisset, quum insuper L. Æmilium Paulum collegam, qui pro optimatibus stabat, effugere vellet, maluit desistere a petitione, et in annum proximum (U. c. 702, a. C. 52) se transtulit, ut haberet ad præturam gerendam duodecim menses plenos atque integros [6]. Hac re ita statuta, nihil a P. Clodio relictum est quod posset tentari ut prætor crearetur. Se amicitia Cæsaris fultum dicebat [7]. Pompeium etiam demissis precibus orabat, ut ab eo novo in gratiam reditu adjuvaretur [8]. Necnon alios sibi adjutores assumpserat, qui plus pollebant.

1. Cic., *ep. ad Att.*, IV, 15, 4.
2. Asconius, *in Scaurianam*, p. 20.
3. Cic., *ep. ad fam.*, I, 9, 19.
4. Cic., *ep. ad Q. fr.*, III, 4, 2.
5. Cic., *ep. ad Q. fr.*, III, 1, 11.
6. Cic., *pro Milone*, 9, 24; *Schol. bob.*, p. 346.
7. Cic., *pro Milone*, 32, 88.
8. *Schol. bob.*, p 344.

Magnam manum perditorum hominum conscribebat[1], anni tribunicii furores repetiturus. Fæci urbanæ ostentabat leges quas reipublicæ imponere meditabatur. Inter quas una videbatur omnia confusura, ea scilicet quam excogitaverat de libertinorum suffragiis. Secundum hanc legem quam Clodius ferre proponebat, libertini, qui suffragium antea ferebant nonnisi in urbanis tribubus, jam possent ferre in rusticis quoque tribubus, quæ propriæ ingenuorum erant[2]. Hactenus libertini per quatuor tribus urbanas distributi, sed ex una et triginta tribubus rusticis exclusi, quasi nullum momentum habebant quoties tribus ibant in suffragia. Itaque intelligi potest quantam spem toti multitudini servorum libertinorumque afferre debuerit lex illa Clodia, qua libertini cum ingenuis æqualiter suffragia ferrent. Jam plures conati erant legem promulgare ut libertinis in omnibus tribubus suffragium esset. Anno 696, Cn. Manlium, P. Clodii collegam in tribunatu, L. Domitius prætor vi prohibuerat quominus lex rogaretur, plebeculæ gratissima, senatui maxime invisa[3]. Sed nunc, quum libertini P. Clodium vindicem suum nacti sint, optata rogatio per fas vel nefas feretur.

Reipublicæ status in populares tempestates quadrare magis quam unquam alias videbatur. In annum 752 (a. C. 52) consulatum petebant T. Annius Milo et P. Plautius Hypsæus et Q. Cæcilius Metellus Scipio[4]. Nemo pertinacius infensus erat P. Clodio quam T. Milo ; itaque intellexerat Clodius mancam præturam futuram suam consule Milone, et ad ejus competitores Hypsæum et Scipionem se contulerat. Non solum se ipsum prætorem creari, verum etiam Milonem non creari consulem necesse erat. Totam igitur petitionem et ipsius et Milonis adversariorum gubernabat; tota se comitia suis humeris sustinere dictitabat[5]. Res ex utraque parte acta est ex consuetudine quæ jamdudum increbuerat. Clodius servos ex Apennino deduxit, Milo gladiatores emit, et quasi quotidie cum suis factionibus per totam urbem depugnabant[6]. Die quadam inter candidato-

1. Cic., *pro Milone*, 9, 25 ; cf. Mommsen, *de Collegiis*, p. 59.
2. Cic., *pro Milone*, 12, 33 ; 32, 87 ; 33, 89 ; Asconius, p. 52 ; *Schol. bob.*, p. 346.
3. Asconius, p. 46.
4. Asconius, p. 31.
5. Cic., *pro Milone*, 9, 25.
6. Cic., *pro Milone*, 9, 26 ; Asconius, p. 31 sq.

rum manus in via Sacra pugnatum est; M. Ciceronem qui aderat haud multum abfuit quin Clodius ad Regiam confecerit [1]. Altera die, pugna Clodio male cessit. M. Antonius, quanquam olim intimus fuerat in tribunatu Clodio, eum in foro gladio insecutus erat et negotium ei transegisset; at Clodius in scalas tabernæ librariæ sese conjecerat, iisque oppilatis ex tanto periculo sat feliciter emerserat [2].

Quum tamen intellexisset Clodius Milonem, qui plebem et infimam multitudinem tribus suis patrimoniis deleniverat [3], consulem creatum iri, comitia quæ exeunte anno habebantur de consulibus creandis, immissa gregalium suorum manu, disturbaverat, lapidesque in duos consules Calvinum et Messalam jaciendos curaverat [4]. Propter facinus senatus convocatus est. Clodius, nedum pro sese dixerit, in Milonem, in M. Tullium ejus suffragatorem invectus est, hæc tria in Milonis personam questus, de vi, de ambitu, de ære alieno, id est quod longe minus quam haberet æris alieni esset Milo professus. Cui insectationi M. Cicero contradixit interrogatione *de ære alieno Milonis* [5]. Interea continuæ seditiones Romæ grassabantur, et, ob perditas candidatorum contentiones, kalendis januariis nulli nec consules nec prætores creati erant. In hac tanta perturbatione civitatis, cui Bovillana pugna mira videretur ?

A. d. XIII kal. febr., Milo, qui erat Lanuvii dictator, Lanuvium Roma profectus erat ad flaminem postera die prodendum. Rheda vehebatur cum uxore et quodam familiari suo. Eos sequebantur magnum servorum gladiatorumque agmen. Obviam fit Miloni circa horam nonam Clodius in via Appia, paulo ultra Bovillas; redibat ab Aricia Romam vectus equo, triginta fere servis gladiis cinctis comitantibus. Quisque adversarium majore custodia defensum existimavit quam ut certaminis fortuna tentari potuerit; ambo igitur præterierunt tacite. Sed Miloniani gladiatores, tardius in ultimo agmine euntes, rixam cum servis P. Clodii commiserunt, ex qua brevi orta est universa Clodianorum Milonianorumque dimicatio. Birria gladiator humerum Clodii rhomphæa trajicit; Clodius vulneratus in tabernam pro-

1. Cic., *pro Milone*, 14, 37; Ascon., p. 48.
2. Cic., *Philip.*, II, 9, 21; 19, 48; 20, 49; *pro Milone*, 15, 40.
3. Cic., *pro Milone*, 35, 95; Ascon., p. 53.
4. Cic., *de ære al. Mil.*, 2, 3; *Schol. bob.*, p. 343.
5. Cic., *de ære al. Mil.*, 3, 2; *Schol. bob.*, p. 341.

ximam defertur. Tum Milo eum exturbari taberna jubet. Clodius extrahitur multisque vulneribus conficitur; dein, Milo Lanuvium iter pergit [1].

Cadaver Clodii in via relictum quidam Tedius senator, forte ex rure in Urbem reversus, lectica sua Romam ferri jussit. Perlatum est ante primam noctis horam et positum in atrio domus, uxore Fulvia invidiam facti gemitibus et querelis augente, maxima servorum et plebeculæ multitudine cincumstante. Urbana plebs in foro pernoctavit. Prima luce T. Munatius Plancus, Q. Pompeius Rufus, tribuni plebis, quo magis spectantes accenderent, cadaver in forum proferri et pro rostris exponi jusserunt; quod mox plebs, ob ea quæ videbat et quæ audiebat ira tumens, duce Sex. Clodio, in curiam Hostiliam intulit. Ibi, non aliquo quodam impetu, sed consulto, aliquot petulantiores, congestis subselliis senatorum et tribunalibus et mensis et codicibus librariorum, cadaver combusserunt. Quo igne et ipsa quoque curia conflagravit et aliquot contiguæ privatorum ædes, necnon Porcia basilica, quæ curiæ juncta erat, ambusta est. Nono die populo in ipso foro epulum funebre celebrante, curiæ ruinæ etiamtum fumabant [2].

Has exsequias patroni sui plebs romana celebravit, dignas quidem viro. Arcem ipsam optimatium ei pro rogo jure ac merito elegerant, ut quam vivus everterat curiam, eam mortuus incenderet [3].

1. Cic., *pro Milone*, 10; Ascon., p. 32 sq.; Dio Cass., XL, 48.
2. Ascon., *in Milonian.*, p. 33 sq., p. 43; Appian., *de bel. civ.*, II, 21; Dio Cass., XL, 49.
3. Cf. Cic., *pro Milone*, 33, 90.

CONCLUSIO.

Omnem contumēliam M. Cicero jecit in privatam P. Clodii vitam, in scurrarum locupletium scortum, in sororis adulterum, in venificum, in testamentarium, in « funestum illud animal » tantis flagitiis notatum [1]. Sed ea omitto. Primum enim, Clodium unicum fuisse his perditissimis civitatis et morum publicorum temporibus haud facile crediderim, et Senecæ dicenti « omne tempus Clodios, non omne Catones feret [2] » vehementer assentiar. Deinde, hic non est quærendum num projectissimus ad omnem libidinem Clodius fuerit, verum quo modo magistratus gesserit et quæ ex eis ad res romanas manaverint.

Num civilis, ut ita dicam, vitæ via sibi constituta Clodius ad rempublicam accessit ? Num eodem consiliorum tenore omnia quæ gessit gessisse videtur ? Hoc affirmare in difficili esset. Ego eum non tam commutandarum rerum et ex proposito consilio reficiendarum quam evertendarum cupidum fuisse ausim contendere. Omnia ubique solvit, omnia ubique turbavit ; quid autem sibi voluerit seditiosissimus ille animus, non liquet. Tota ejus vita ex seditionibus et facinoribus constat. Cognatus et legatus Luculli, milites romanos ad proditionem sollicitat. Hospes Antiochensium, tumultum Antiochiæ conflat. Quid autem Romæ, sive tribunus plebis, sive ædilis, sive præturam petiturus ? Non potest dici, ne cogitari quidem quantas turbas in civitate concitaverit. Per sex annos nunquam desitum est turbari. Intestinum latrocinium foro illatum, incendia, cædes,

1. Cic., *pro Sestio*, 17, 39 ; *in Pisonem*, 9, 21.
2. Sen., *ep. ad Lucil.*, 97.

hæ illi fuerunt artes ad magistratus capessendos gerendosque, quas non excogitavit, sed quibus nemo unquam scientius audaciusque usus est.

Sed quorsum hæc pertinebant? E patriciis ad plebeios transiisse, plebi annonam gratuitam dedisse, censuram minuisse, auspicia sustulisse, collegia restituisse, servos conscripsisse, hæc omnia fecisse videtur, non eo consilio ut quæ cogitaverat de republica ea perficeret, sed ut obsequeretur effrenatis omnia permiscendi cupiditatibus et injurias ulcisceretur. Vir quietis impatiens et cujus odium in Ciceronem inexpiabile erat, omnes machinas adhibuit ut inimicum præcipitaret et tumultum civitati injiceret. Non publicam causam, sed suam defendit.

Inerat viro incredibilis animi mobilitas. Exceptis Cicerone et Milone cum quibus simultates non intermissas exercuit, in alios animo nunquam constanti visus est. A Pompeio quoties alienatus est, quoties in gratiam cum eodem rediit! Non semper apparet quæ causa fuerit immutatæ voluntatis, tam repente animum inflectit. Eosdem nunc impugnat, nunc opitulatur, minimæ fiduciæ inimicus vel adjutor.

Quid de Clodiis legibus tribuniciis factum est? Leges omitto de rege Ptolemæo, in Ciceronem, aliasque hujusmodi, qui privatos tantummodo, privatave, nec rempublicam ipsam petebant. Sola lex Clodia frumentaria quasi intacta permansit; sed non ea erat quæ novas res in rempublicam introduxisset, sed quæ jam promulgatas leges complevisset. Insuper fatendum est rempublicam ea lege, quamvis populo romano perniciosa, in discrimen non commissam esse. Clodiæ autem leges de auspiciis, de censoria notione, quæ fundamenta ipsa civitatis concutiebant, Clodia lex de collegiis, qua seditioni exercitus suus conscribebatur, hæ deterrimæ reipublicæ pestes, non in longum valuerunt. Legibus Æliæ et Fufiæ semper locus fuit in civitate, nedum antiquatæ fuerint; semper Miloni aliisque instrumento fuerunt quo comitia procrastinarentur. Quæ de censoribus erant a P. Clodio statuta, ipso anno quo is interfectus est, Q. Metellus Scipio consul abrogavit, et censoribus pristinam potestatem reddidit intemeratam [1]. Collegia demum, quæ jam discedere jusserat senatusconsultum a. U. c. 698 factum [2], C. Cæsar dis-

1. Dio Cass., XL, 57.
2. Vid. supra, p. 64.

traxit [1]. Ex quo manifesto apparet e tanta legum Clodiarum multitudine legem vix unam emersisse.

Ne plura, Clodius seditionum concitator exstitit longe ante alios insignis ratione in perversum solerti et incredibili audacia. Sed huic turbatori plebis, qui quamdiu magistratus gessit tamdiu tumultum e tumultu sevit, nihil eorum unquam venit in mentem quæ Tib. et C. Gracchi famam fecerunt. Versutus et volubilis, in diem, ut ita dicam, vixit, id tantum curans ut per fas et nefas inimicitias suas expleret. Res vero quas in tribunatu gesserat quasi totæ mox perierunt.

Nullumne igitur pondus habuit P. Clodii persona? Minime; nam inter eos qui secundum in civitate locum, exeunte septimo ab Urbe condita sæculo, obtinuerunt non reperias unum cujus facta majoris momenti fuerint ad tempora reipublicæ futura, qui perniciosior toti civitati vixerit. Verum non in his quæ ipse gessit continetur atque inest Clodii magnitudo, in his autem quæ præparavit et quæ ab alio ad exitum perducta sunt. Clodius tantum alienæ potentiæ minister fuit, sed minister cui par nemo dici posset.

Si quis tum Romæ molitus esset ut summam rerum in republica occuparet, quid ei contigisset optatius quam Urbem factiosis certaminibus assidue vexari, et magistratus omnes, senatum, comitia, paulatim dissolvi? His partibus turbatoris vulgi dissolutorisque reipublicæ optime functus est P. Clodius. Itaque, sive voluntas ei faciendi fuerit sive defuerit, adjutor C. Cæsaris acerrimus exstitit. Dum C. Cæsarem belli gallici victoriæ singulari gloria afficiebant, P. Clodius omnia in republica præcipitabat; ita ut Cæsarem reversum nulla jam res objecta impedire potuerit quominus dominatu suo omnia teneret.

Suo pestifero et funesto tribunatu plebis P. Clodius usus est ut iter novo verum ordini muniret. Ex quo leges Licinia et Sextia consulatum promiscuum patribus ac plebi fecerant, tribunos plebis, olim eo consilio creatos ut plebi adversus consules auxilium ferrent, vel e republica tolli, vel eis rationem verti necesse erat. Itaque inde senatus magistratusque omnes tribunatum habuerant adversarium, non quod plebem ipsam qua ortus erat tutari vellet, sed quod potentiam senatus vel consulum infringere conaretur. Sic paulatim cuncta in civitate a tri-

1. Suet., *Cæsar*, 42.

bunis plebis labefactata erant, et reipublicæ procumbenti P. Clodius tribunus plebis mortiferam plagam inflixerat.

Colligamus enim breviter quot facinora in omnes, in omnia admiserit. Populum romanum docuerat leges jam nihil valere et imagines sine re esse factas, quum transiturus ad plebem se patri, duodecim vel quindecim annis minori, filium adoptandum per summum ludibrium dedisset. Concordiam ordinum disjunxerat; hanc optimatium nationem ex equitibus, ex senatoribus, ex omnibus qui descriptionem civitatis a majoribus constitutam servare nitebantur, conflatam, quam Cicero popularibus obstare volebat[1], P. Clodius disturbaverat atque everterat, quum adjutoribus C. Cæsare, Cn. Pompeio, M. Crasso, qui ipsi optimatium duces esse debuissent, tam scelerate rempublicam vexare potuisset. Senatum, quem Cicero rerum romanarum custodem, præsidem, propugnatorem esse dicebat[2], quasi e civitate Clodius sustulerat, quum leges suas de provinciis consularibus, de rege Ptolemæo, de Pessinuntio sacerdotio tulisset. E comitiis quid aliud nisi nomen inane supererat? Omnia egerat Clodius cum gregalibus suis, cum decuriis centuriisque perditorum in quorum numerum vel servos vel peregrinos recipere ausus erat; nunc Clodianus exercitus personam « populi late regis » gerebat. Quis ergo non videt nullum jam Romæ esse senatum, nullos magistratus, nulla judicia, nulla comitia, nullam rempublicam? « Amisimus, scribebat a. 700 Attico M. Tullius, amisimus omnem non modo succum ac sanguinem, sed etiam colorem et speciem pristinam civitatis[3]. »

Optimatibus a P. Clodio fractis, plebe ad incendium, ad cædem, ad omnem injuriam effusa, perditæ civitati omnis spes sita erat in eo qui sicarios incendiariosque expelleret, qui pacem publicam reduceret. Ex illa turbulentissima rerum romanarum tempestate novam reipublicæ formam oriri necesse erat; nam forense latrocinium ætate perenni durare non poterat, et nemini licebat civitatem ex perditis rebus ad pristinum statum revocare. In unius imperium res romana recidet : hoc haruspices prædixerant[4], hoc omnes Romæ sensu conjectu-

1. Cic., *pro Sestio*, 45; 46 et passim.
2. Cic., *pro Sestio*, 65, 137.
3. Cic., *ep. ad Att.*, IV, 16, 10.
4. Cic., *de harusp. resp.*, 19, 40; 25, 54.

raque divinabant. Jam a. 700 fuerat in Urbe « nonnullus odor dictaturæ[1]; » et statim post Clodium interfectum, Cn. Pompeius consul sine collega creatus erat, quum omnes creari dictatorem oportere faterentur. Pompeio autem multa deerant ut præcipitem rempublicam retineret vel novum in civitate statum instauraret : tantam personam sustinere unius C. Julii Cæsaris erat, cujus voluntate omnia illa acciderant.

C. Cæsar Clodium e patribus ad plebem traduxerat, Clodium tribunum plebis creaverat, Clodium Ciceronem expellere, Catonem amandare, Pompeium lacessere, senatum disturbare, rempublicam convellere, omnia permiscere siverat. Hæc C. Cæsar in P. Clodium. Quid P. Clodius in C. Cæsarem ? Quotidiano in rempublicam impetu eam diutius stare non permiserat ; bello domestico, forensi latrocinio cupiditatem otii et concordiæ, tædium libertatis omnibus injecerat ; quid multa ? viam regno muniverat. Quamobrem, ut ex maxima libertate tyrannis ubique gignitur, sic ex tanta Clodianorum temporum confusione C. Cæsaris principatus Romæ emanavit.

1. Cic., *ep. ad Att.*, IV, 16, 11.

MEMORABILIA VITÆ P. CLODII PULCHRI

PER ANNOS DIGESTA

(*Numeri uncis inclusi paginas indicant*).

Anni U. c.	Anni a. C.		Anni P. Clodii
661	93	*Coss. C. Valerius Flaccus, M. Herennius.........*	1
		P. Clodius Pulcher hoc anno natus videtur, patre Ap. Claudio Pulchro, matre Cæcilia Metella (3).	
681	73	*Coss. M. Terentius Varro, C. Cassius Varus......*	20
		Clodius Fabiæ, virgini vestali, incestum cum Catilina objicit (12).	
687	67	*Coss. C. Calpurnius Piso, M'. Acilius Glabrio.....*	26
		Legatus Luculli in bello Mithridatico legiones ad rebellionem incitat (10). — Rei navali in Cilicia eum præficit Q. Marcius Rex (11). — A piratis capitur (11). — Antiochiæ seditionem stimulat (12).	
689	65	*Coss. L. Aurelius Cotta, L. Manlius Torquatus...*	28
		L. Catilinam repetundarum Romæ accusat (12).	
690	64	*Coss. L. Julius Cæsar, C. Marcius Figulus........*	29
		In Galliam se confert cum L. Murena (13).	
691	63	*Coss. M. Tullius Cicero, C. Antonius............*	30
		Conjurationis Catilinariæ expers est (14).	

Anni U. c.	Anni a. C.		Anni Clodii.
692	62	*Coss. D. Junius Silanus, L. Licinius Murena......*	31
		Mense decembri Bonæ Deæ sacra violat quæstor designatus (17)	
693	61	*Coss. M. Pupius Piso, M. Valerius Messala.......*	32
		Clodius quæstor. — Clodius incesti reus absolvitur (23). — Clodius in Sicilia quæstor (27).	
694	60	*Coss. L. Afranius, Q. Cæcilius Metellus.........*	33
		Clodius transire ad plebem tentat (29). — Tribunatum plebis nequidquam ambit (29).	
695	59	*Coss. C. Julius Cæsar, M. Calpurnius Bibulus...*	34
		Clodius a Fonteio adoptatus ad plebem transit (31). — Tribunus plebis creatur (35).	
696	58	*Coss. L. Calpurnius Piso, A. Gabinius..........*	35
		Clodius tribunus plebis — Clodiæ leges: frumentaria (37), de collegiis (38), de jure et tempore legum rogandarum (39), de censoria notione (40), de provinciis consularibus (41), de rege Ptolemæo et de exsulibus Byzantinis (41), in Ciceronem (43,46), de Pessinuntio sacerdotio (48), de injuriis publicis (48), de scribis quæstoriis (48), nummaria? (48).	
697	57	*Coss. P. Cornelius Lentulus, Q. Cæcilius Metellus Nepos...................................*	36
		Mense januario, cædes a P. Clodio in foro facta ne lex de Cicerone revocando ferretur (56). — Eum de vi T. Milo accusat (57). — Clodii et Milonis dimicationes (60). — Clodius ædilitatem petit (60).	
698	56	*Coss. Cn. Cornelius Lentulus, L. Marcius Philippus*	37
		A.d. XI kal. febr., Clodius ædilis curulis creatur (62). — Milonem de vi accusat (62). — P. Sestius absolvitur (64). — Absolvuntur Sex. Clodius, M. Cælius Rufus (65). — Haruspicum responsa in Ciceronem interpretatur Clodius (66). — Pompeio et Crasso favet consulatum petentibus (68).	

Anni U. c.	Anni a. C.		Anni Clodii.
699	55	*Coss. Cn. Pompeius Magnus II, M. Licinius Crassus* II.	38
		Clodius legationem Byzantium aut ad Brogitarum consequi cupit (69).	
700	54	*Coss. L. Domitius Ahenobarbus, App. Claudius Pulcher*	39
		Per Clodium Procilius condemnatur (70). — Causam pro M. Scauro Clodius dicit (71).	
701	53	*Coss. Cn. Domitius Calvinus, M. Valerius Messala*	40
		Clodius desistit a petitione præturæ in hunc annum, sed præturam petit in annum sequentem (71). — Legem parat de libertinorum suffagiis (72). — Comitia consularia disturbat (73).	
702	52	*Coss. Cn. Pompeius Magnus III, Q. Cæcilius Metellus Scipio*..........................	41
		A. d. XIII kal. febr. Clodius a Milone circa Bovillas, contracta ex occursu rixa, jugulatur (73).	

VIDI AC PERLEGI,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. XIV kal. januar. anni MDCCCLXXXVII.

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,
A. HIMLY.

TYPIS MANDETUR.

Academiæ Parisiensis Rector,
GRÉARD.

INDEX CAPITUM.

Imprimerie Générale de Châtillon-sur-Seine. — A. Pichat.

ERRATA.

P. 2,	vs. 23.	*Pro* parentium,	*lege* parentum.
— 7,	— 26.	— primam,	— priorem.
— 13,	— 23-24.	— ista, nedum... fuerit, ad dedecus... prævaricatus,	— ista ad dedecus... præva ricatus, nedum... fuerit.
— 14,	— 20.	— juvenium,	— juvenum.
— 14,	— 27.	— adhuc,	— etiam.
— 14,	— 36.	— perturbationi,	— perturbationis.
— 21,	— 18.	— adere,	— adesse.
25,	— 3.	— calidissime,	— callidissime.
— 32,	— 30.	— arcum illum in se ipsum	— arcum illum non solum in se ipsum.
— 36,	— 33.	— cujus,	— quarum.
— 50,	— 6.	— solertius Clodio,	— solertius quam Clodius.
— 50,	— 16-17.	— Hominibus... conscriptis, eos Clodius,	— Homines.... conscriptos Clodius.
— 51,	— 1.	— reperuisses,	— reperisses.
— 57,	— 17.	— andacia,	— audacia.
— 70,	— 7.	— si aliquis,	— si quis.
- 70,	— 23.	— cum eo,	— cum ipso.
— 82,	— 11-12.	— seentem,	— sequentem.

Imprimerie générale de Châtillon-sur-Seine. — A. Pichat.